








IOSEPHI RIPAMONTII
CANONICI SCALENSIS
CHRONISTAE VRBIS MEDIOLANI
DE PESTE
QVAE FVIT ANNO CIↃIↃCXXX.
LIBRI V.
DESVMPTI
EX ANNALIBVS
VRBIS
QVOS LX.
DECVRIONVM
AVTORITATE
SCRIBEBAT
Pbr Oct. Saluionus Med. inuent.
Cæsar Bassanus excudit 164j

Die prima Octobris 1640.

IMPRIMATVR

Fr. Basilius S. Officij Mediolani Commissarius.

Io. Petrus Puricellus pro Eminentiss. D. Cardinali Montio.

V. Arias pro Excellentiss. Senatu.

ILLVSTRISSIMIS VIRIS
VICARIO ET LX. DECVRIONIBVS
CONSILIO GENERALI
VRBIS MEDIOLANI.

Vrbis Mediolani

TERTIVS hic annus est, ex quo, Generalis Consilij autoritate, ac decreto Ill.^mi Ordinis, ad componenda Patriae monumenta electus ego admotusque fui, cùm iam omne id aeuum à primordio Vrbis ad vsque Philippi II. Catholici Regis initia, & D. Caroli Pontificis exitum continuata narratione perduxissem. Idque nostrum Opus, quia sub Ecclesiastico titulo mista omnia profana sacris habebat: iudicatum ita decretumque est: pertinere ad magnitudinem, famamq; Ciuitatis, vt omnis rerum memoria deinceps etiam per nos consignata extaret,

II. 13. xbr. 1625.

extaret, lingua ſcilicet ea, quae ſemper eſt habita propria Artis, quaeue ſola rerum memoriam facere ſempiternam poteſt. Sic de ea re cenſuere duo Sapientiſsimi Decuriones, Marchio Ioannes Maria Vicecomes, & Hieronymus Legnanus, quibus huius Hiſtoricae Prouinciae regimen ac tutela demandata erat. Namque, adiuncta ſic ad prioris Hiſtoriae volumina, pari noſtra induſtria & continuatione ſcribendi, effici poſſe crediderunt, vt haberetur iuſtum atque completum, & vno tenore conſtans, ac ſibi conſentiens Patriae Hiſtoriae corpus: quod vnum inter haec Inſubriae monumenta deſiderari ac deeſſe animaduertebant. Nam omnis memoria Inſubrum Vrbiſque huius, ab condita Metropoli ad hanc ferè diem ſanè multis clariſq; Authoribus perſcripta extat. Sed,

nec

nec arte, nec diligentia pari, neq; etiam eodem ſermone omnes haec monumenta condiderunt. Obſtrepunt enimuerò ſibi inuicem interdum: confuſio quaedam ex multitudine oritur: ac ſicuti de magnis Imperijs aliquando dictum fuit, etiam Hiſtorica res Vrbis huius copia moleq; ſua laborat, & quodammodo fatiſcit: nec tanta varietas, & turba ſcriptorum facilè alibi reperietur. Adeò, in Vrbe hac, quae Roma altera ab Auſonio Vate praeceptore Caeſarum nuncupata eſt, quantò plus caſuum & rerum ſubinde oriebatur, tantò magis ad ſcribendum ingenia excitabantur. Idq; Reip. ſanè temporibus etiam euenit, tunc ſcilicet, cùm liberi Mediolanenſes, Romano penè ritu Inſubriae Imperium hoc tenerent: ſed multò magis, poſteaquam Ducum hereditas Reſp. facta eſt: ac feli-

cius etiam, atque copiosus, posteaquam, finita Ducum stirpe, sub Catholicae Maiestatis Imperium atq; tutelam Resp. haec venit. Atq; inde turba extitit hominum historicorum, quos sua voluntas, quosue nutus imperitantium in id ferebat. Neq; laude tantùm, & facultate, verumetiam inclinatione quadam, & genio quisque suo dispares fuere. Inclinat Galuanus ad fabulosa libenter, repetens ab Heroicis fere temporibus nomina familiarum illustrium, miscensque miracula semper aliqua rebus, & incredibilia multa conquirens, etiam vbi veritas ipsa sibi ad legentium oblectamenta sufficere possit. Alius, narrator tantummodo sincerus eruit ex profundo antiquitatem, & nihil nisi ex tabulario depromptum afferre mauult. Fuere, qui studerent rem ornare modicè verbis: fuit qui immodicè ornando,

&

& congerendo portenta verborum Arlunus, corrumperet ornatum & artem quodammodo ipſam, qualia ex declamatore Alcidamante princeps humanae ſapientiae refert in vaniloquentiae exemplum. Scripſere ephemerides & Vrbis diaria nonnulli. Collegit inſcriptiones, & marmora Bonauentura Caſtilleonaeus Canonicus olim huius Eccleſiae Scalenſis, & Collega noſter; eoque nec paruo, nec illiberali, ſed apud multos forſitan arido & ieiuno labore, per nominum, ac locorum, temporumq; notationem, atq; per aequalem lapidum aeternitati memoriam, effecit, vt Patria quodammodo narraret ipſa ſuos caſus, atque fieret ipſa ſibi Scriptoris inſtar. Calchuſq; & Simoneta, qui ferè duo de noſtris, veteris Romanae hiſtoriae genium indolemue quandam, aut aſſecuti fuere, aut viderunt certè, &

aſſequi

aſſequi concupiuerunt , Sfortiade ſua hic , ille Henrici III. Caeſaris fine contentus, inchoatam hiſtoriam imperfectamque reliquerunt. Ob eam rem, cenſuere Hiſtorici Duumuiri, nihil fieri poſſe commodius atq; expeditius, quàm ſi filum Hiſtoriae Mediolanenſis, quae ſcripta à me olim, & edita eſt, exciperem ipſemet, ſcriberemque reliqua ad eandem formam: & agendae rei mandata mihi ab hinc fere triennium dare coeperunt. Cùmque mortuo interim Vicecomite, ſuperſtes huic Collega Legnanus, non modò adhortator operis, ſed etiam qui opus ipſe magnum ſuo Marte facilè potuerat exhibere, inſtaret, haud vltra cunctandum eſſe putaui. Atque orſus ab Philippi II. fine, & alterius Borromaei initijs, ſub Vicario Sormano primùm, deinde ſub Vicario Archinto inſtitui ſcribere tempora

caſuſque

casusque, & actiones insecutas, bellumq; hoc, quod geritur inter duos Reges, implacabile, atrox, Regibus, etiam aetatibusque venturis exemplo ac documento futurum. Huiusque etiam Historiae volumen tradidi Decurioni Legnano, vt is pro iniuncta sibi potestate arbitrioque negotij totius recognosceret scripta haec, atque de editione statim adornanda, siue differenda statueret arbitratu suo, prout probasset improbassetue opus. Interea, cùm de peste, quae Mediolani fuit Anno CIↃ IↃC XXX. notata perscriptaq; multa haberem: motus sum & autoritate eiusdem, & efflagitatione Vicarij Castilleonaei, dein Alferij Successoris, vt redigerem ea in treis libros, & eos tempore antecapto in lucem emittere maturarem ab reliquo historiarum corpore separatim, haud aliter, quàm sicut Historici no-

biles

biles etiam olim partes ſeparauere nonnullas, quoties, vel rei alicuius magnitudo res caeteras ſupergreſſa erat: vel eam admirati ipſi vehementius illuſtrare cupiuerunt. Et talium imitari mores, ac ſequi veſtigia licitum eſt, etiamſi vim aſſequi non poſsimus. Operi autem paruo, & funeſto huic, decus illud quaeſiui ingens, vt in magno Conſilij Generalis nomine appareret, vobiſq; dicaretur, ſicuti etiam ius faſque erat. Nam, & vobis nata domi res ad vos redire debuit: & fuiſtis verè vos in illo triſtiſsimo tempore Patres Patriae Vrbiſque huius: atque erogauit Ordo veſter in illa clade pecunias, quantas confici potuiſſe non fieret credibile Gentibus nationibuſue alijs, niſi ſi aduerſaria ſummarum etiam, rationumq; volumina inſpicere poſſent. Pretiaq; profectò Vrbium aliarum pecuniae iſtae aequauerunt.

I. R.

ORIGINES & primordia Vrbis Mediolani, quaeue ibi postea, magnis ciuium virtutibus, magnisque vitijs, & rerum humanarum sorte memorabilia euenerunt, prodidere scriptores indigenae vel externi: nosque etiam omne id aeuum triginta libris nouissime amplexi eramus, noua, & admiranda multa, famae communi, memoriaeque mortalium historico opere exhibentes. Neque sanè post Romana secula, postue Senatum illum Principem Orbis terrarum, Respublica, populusue fuit vllus, bonis, malisue exemplis ditior, nec vbi pace, belloque, & studijs ciuilibus magis tumultuatum esse credam: nec rursus, vbi haec ipsa studia floruerint magis, magisue spectatum sit, quicquid in humani generis disciplinam vertere scribentium ingenia consueuerunt: taliaque documenta vitae mortalium narratione illa edita esse plurima arbitror.

At nunc pestilenciae tantummodo tela, horrendasque mortes, exhaustam funeribus Vrbem, populumque diminutum, vel potius, sublata hinc etiam funerum, & Vrbis, & Populi nomina, simul & iura naturae sublata narra-

narraturus, venia opus habebo, apud eos, qui politica grauitate, dira haec, & moesta, & desertis simillima legentes, meque, & tam horribile carmen fortasse aspernabuntur. Non tamen absque vsu fuerit, etiam in haec ipsa animum intendisse: pectoraque prudentum satiata alibi fraudibus, & contemplatione malarum artium, hîc demum pretia fallendi agnoscent, atque incipient veris momentis aestimare ea, per quae tantopere inquietantur, vbi scilicet videbunt, tot millia cecidisse venenato inter se halitu: tot relictas, absque haeredibus domos: & acta per Metropolim solitudine, gloriae, famaeque nominis insultatum. Caeterùm, quò funestior adhuc fiat haec, quae in rerum humanarum contumeliam pompa adornatur, atque, vt melius, certiusque agnoscant homines, non solùm, ex comparatione, magnitudinem, atrocitatemq; mali, sed etiam, per quos veluti gradus, & à quibus initijs in tanta mala deuentum sit, pauca supra repetam, de forma, & statu Ciuitatis, qua scilicet forma, & statu fuit antequam penè esse desineret.

DE FORMA RERVM ET STATV VRBIS ANTE PESTEM

VRBS Mediolanum in plano ſita circumſpatiantibus latè campis excipit puriſſimi Solis radios : quodque rarum alibi : nec ab riguo ſolo contaminatur illic inficiturque vaporibus, amoenum, & ſalubre coelum : nec coeli ſalubritas ea eſt, quae munera telluris negata compenſet, fraudetue neceſſarij humoris alimento . Ita, coelo, caeteriſque ſyderibus apprime fauentibus, & reſpondente vbere agri, neque in alimenta, neque in delicias vitae mortalium quicquam deeſt, nec longior alibi feliciorue durat vita, ſi intemperantia aduerſus haec ipſa naturae munera abſit. Euehitur large frumentum in Heluetios, & Rhaetos, aliaſue cinctas patrij ſoli anguſtijs gentes, &, aut vinculo hoc in foedera trahuntur, obliganturque fidei pignoribus, ne fauces, in quibus ipſos natura collocauit, hoſti prodant: aut facultates, & compendia euectionum, pro magnis erga ſe meritis, diuidere, & dare praemiorum loco Rex conſueuit. Prouinciae Gubernatores etiam, inter conficiendae pecuniae vias, hanc maxime compendiariam ſemper expeditiſſimamque cenſuere. Tanta foe-

Descriptio Vr[bis] Mediolani.

cunditas

cunditas agro Mediolanensi : exuberantque illic adeò feliciter fruges.

Euehendi porrò inuehendique facilitatem praestant, Ticinus, & Abdua, amnes inclyti: ille Verbani vndas trahens : hic Lario lacu effusus. Hi totam agri Mediolanensis latitudinem amplexi confluunt diuerso itinere in Padum, qui mare Adriaticum intrans admouet quodammodo Oceanum Vrbi, & Vrbem ipsam Gades vsque defert, quà terrarum Orbem antiquitas finiuit. Nam quidquid petendum ab mari est, pelagoue tradendum, infert, atque exportat nauigabilis fossa, amni ab vtroque circumducta moenibus, atque, hinc Abduae, hinc Ticini vlnis amplexa Metropolim.

Ipsa in medio sita, viris, armis, ingenijsq. potens, non finitimorum tantummodo populorum domina, sed alienorum quoque nutrix, hoc ipso magnitudinem sui nominis auget, quòd Catholico Regi subiecta, pars haud vltima curarum Imperijque eius semper habita est: claustraque, & munimenta verè haec, & fores, & rerum Italicarum summa tanto Regi habetur, sicut Italia verè ipsa, flos, & decus, & robur Imperij, cuius fines Orientem, Occidentemque solem includunt.

Colligit Vrbs in circuitu millia passuum

septem

ſeptem haud amplius : ſed adeò frequenter habitata fuit, vt partes ſingulae ſingulas verè Vrbes videantur efficere poſſe, ſi ab ſuo auellerentur corpore, ſeparatimque collocarentur. Trecenta millia capitum aliquando cenſa fuerunt. Ducenta habitauere ante cladem, ob quam, referri ſic ordine iſta attinere arbitramur. Tecta, cultuſque ciuium hoc inter ſe ordine, gradibuſque fuerunt, vt Principum fortunam, & habitum nobilitas pleraque referret: Principes verò ipſi Maieſtatem ſplendoremque Regum imitarentur: rurſus, negotiatores, & nummularij quaeſtuoſum maximè genus, compendijs, emolumentiſque ſuis, eò fere proceſſerant, vt omiſſa negotiatione, quaeſtuque contempto attollerent ad Imperia animos; & coronata iam ſtemmata multi praeferebant, quorum maiores, ſtemma, ſiuè inſigne gentis aliquando nullum habuere. Relicta ab his loca paulatim occupare proxeneta, ſiuè ſellularius audebat. Plebs infima ſordes exuerat: ſordebatque marito vxor niſi ſuper ſerica indumenta, etiam onerata torquibus, & auro conſpiceretur. Serica ſimplex, & pura veſtis coeperat eſſe mendicorum. Circumferre gemmas, digitique vnius pretio, vel auricularum pondere opes, coeperat ignobilis

bilis iam, & obſcura eſſe oſtentatio: taedioque talium, & veluti ſuſcepta aduerſus plebeias aemulatione, matronae nobiles in altitudinem conditae ſimpliciore veſtitu ſatietatem ſuperbiae teſtabantur. Par taedium apud viros: paulatimq; deſcenſum ad oſtentationem, & pompam, & imitamenta virtutum, ſigna, & tabulas pictas, & miracula alia artium antiquarum, quibus haud magis exornatas fuiſſe Syracuſas, terramue Atticam putem, tunc cùm Marcellus illas, hanc Philippus Macedo iure belli diripuerunt.

Sed & Attica verè ingenia, ſtudiaq; Genti, non modò circa leuiores illas artes, inuenta Graecorum, oblectamenta oculis, oculos & ora mortalium exprimentes, pediſſequas, ancillaſque ſcientiarum: verùm etiam circa ſcientias ipſas, vitae magiſtras, dicendi artifices lumina animi humani: patriamque verè Philoſophorum hanc dici potuiſſe monumenta teſtantur, Oratores, & Poetae, quàm multi numero, & hoc nomine digni fuerint, item generis vtriuſq; ſcripta argumento ſunt. Ac ſicuti bonis temporibus olim, cùm foderent, ararentque Imperatores, gaudebat tellus bipalio, vomereque laureato, & manibus felicius ingenuis cuncta proueniebant: ita Me-

Edit Romanis dreciones.

diolani

diolani, nobilium ingenijs exercita ſtudia litterarum, dedere meſſem hanc; cui nocere peſtilentia non potuit, cùm caetera omnia depopularetur, faciemq; rerum ſicuti poſtea demonſtrabo verteret totam, planeque immutaret.

Certauere pauperes etiam cum proceribus fama & claritudine ſtudiorum: quantumque hos ingenita nobilitas & gloria, tantum illos accendebat creſcendi amor, ſpeſque praemiorum, & gratiae in Vrbe, in qua, vel Philoſophi dominarentur, vel dominantium ingenia, litteraque anteſtarent. Et ſpem eam res ipſa inſecuta eſt, tanta per omne tempus liberalitate Principum, fauoreq;, & animo effuſo erga bonas artes, vt in earum cultu, facultateque diſcendi, pauperum liberos à principali fortuna diſcernere non poſſis, totaque Ciuitas Muſarum vna ferè domus dici queat, ſi Collegia, ſi ſcholæ, ſi plena voluminum conclauia facta publici iuris inſpiciantur.

Magna, & opulenta, & florentiſſima olim, ac beata, eademque miſera, & factioſa, & ſemper inquieta certamine partium Ciuitas, Vrbes, populoſque alios, acta pariter, & ventura ſaecula, ſapientiae ſtudijs, atque diſciplinarum omnium affectatione ſuperauit. Et

ſtudium

ſtudium ante omnia, curaq; Religionis eminebat: miraque diuerſitate, mores, & inſtituta populi Mediolanenſis, hoc ipſo famam, & nomen addidere Metropoli, quòd res adeo diuerſae, & contrariae coaleſcere hîc inter ſe potuerunt, conſiſtereque in vna ſede: publicae opes, publica modeſtia: tumultus, & diſciplina Ciuium: publica pietas, & luxuria, faſtuſque communis: quaeue alia naturali bello vitia cum virtutibus pugnant.

QVOMODO RES MEDIOLANENSIVM AFFLICTARI COEPTAE BELLORVM APPARATV DEIN FAME.

INDVXERAT, alueratque mores iſtos habitumque rerum, & ſiniſtri rumoris cum magna fama pugnam, inueterata pax, otiumque diuturnum ab externis armis, quo Ciuitatum omnium bona pariter, & mala nutriuntur. Namque, poſt illa arma, quibus, Gallos inter, & Hiſpanos, ſub Carolo Quinto, & Franciſco Rege de re Mediolanenſi magna gentis vtriuſque clade decretum eſt, nulli laceſſiuere Metropolim hoſtes: & cùm nullos etiam ipſa laceſſeret, quantum ad motus, & pericula externa, per centum fere annos, veluti mare tranquillum

quillum, Vrbs , e Prouincia haec fuerat , ne minima quidem aurà fluctus mouente.

At,posteaquam atrox ex Gallia Rex Henricus , ex Regnis , Prouincijsque ceteris coniurata cum eo capita flare coeperunt : coepit simul istud, quod dico mare nostrae Vrbis, externo pariter, & interiore motu cieri, vt tempestas paulatim ea concitaretur , quae malorum vltima nobis inuexit, bellum, famem, ac tertium denique hoc, quo penè deleti sumus, quodque etiam condere annalibus iuuat. Et initia quidem illa molemque coniurationis, quae parabat vertere ab imo terrarum Orbem, quaeue in tanta vastitate consiliorum imminebat Vrbi praecipuè huic, vnius hominis dextera furorue repente oppressit, nisi si potius fuit Numinis ea verè manus, & coeleste vere Numen. Caeterùm , iactis in longum ab eo principio seminibus , longa causarum exorta series est , quae Regum animos , ac Regibus interiecta capita dominationum, Principumq; minorum inquietaret odijs, suspicione, metu, prout atrocissima quaeq; inuicem moliti erant, siue fuerant stimulatores , aut ministri talia molientibus , siue etiam stimulatores , ministrosque ipsos , re , consilio, nutu, palam, siuè ex occulto adiuuissent. Ex eo tempore , Prouincia

uincia nuſquam ſine apparatu, nunquam ſine expectatione belli fuit; haud aliter, quàm ſi ſecreta coniurationis vnam hanc petiſſent, vnaue diſcrimen illud horribile euitaſſet.

DE ACEVEDIO ET VELASCHIO ET MENDOTIO GVBERNATORIBVS VRBIS ADHVCQVE NONNVLLA DE CAVSIS ET ORIGINE BELLORVM

ET inciderat is forte Gubernator Vrbi, qui inter pacata etiam, ac ſecura, & quieta omnia quieſcere tamen ipſe nequiret. Azeuedius erat cognomento Fontium Comes innutritus ab ineunte aetate armis, per arma nomen, famamque adeptus, & præcipiti iam ſenecta, quietum vitae exitum, haud minus profectò, quàm mortem penè ipſam timens. Is, ingenio, totaque vita bellator, impatiens otij, profundus, inquietuſque, gloria ſuæ accenſus, anxius inueterata erga Regem fide, ſuſpectans omnia, cunctiſque ſuſpectus, ſui obtegens, alienorum explorator, alendo id genus hominum; atque per eos obſidendo modis inenarrabilibus non limina magis, quàm pectora Principum inimicorum, ſimulque augendo munimenta, & vires, atque

aus preclari Ducis

iuſtru-

inſtrumenta omnia belli, eò rem adduxerat, vt ſi demerſi, ac ſopiti alta quiete animi hoſtium tenerentur, ipſis Fontani motibus ad circumſpicienda pericula ſua, nouandumqne aliquid excitari poſſent. Sed infidi amici occulti hoſtes ſua ſponte concitati erant, & ea moliebantur, quae, incertum fuit, abſumpſerintne deprehenſa, moerore, atque aegritudine ſenem, an potius ſenex ille Gubernator conflaſſet ea ſuis modis, neceſſitatemque moliendi impoſuiſſet. Vtcunque fuit: mirifico ſane caſu, miraque in praeſens opportunitate ad quietem reıum, in tempus fere idem congruerant, Galliae Regis cedes, & Fontani huius mors: ſiuè moeror hunc, detecta repente coniuratione diſcrimineque ſummae rerum, ſiue abſque cura etiam illa, ſenectus ipſa diſſoluiſſet. Mutua dein, ac ſera diſſimulatione partium quieta omnia aliquandiu inter Imperium vtrumque erant: & magis ſine bello, quàm in pace Prouincia habebatur.

Infidam eam, minimeq; duraturam pacem, & magnis odijs, atq; neceſſitatibus ſuſpēſa omnia, Fontano, ſicuti dictum eſt, extincto, regebant Velaſchius, & Mendotius, poſt alterum alter, magna nomina Hiſpaniae Procerum, ſed nec perinde formidata hoſtibus, nec ſanè ipſi vlla

hoſtium

hostium meditamenta lacessentes. Ille delicijs, & studijs, & amoenitate vitae, hic ad rem suam paulo attentior, & contentus vterque maiorum suorum gloria, quamquam sermonibus fortasse multorum incesserentur, hanc tamen ex diuerso, approbatione consensuque prudentum, laudem ferebant, quòd quies illa animorum, aptissima temporibus, pacique habendae videretur.

Interpellauere postea securitatem, otiumque Mendotio, Sabaudiae Ducis arma, cùm socer inuisus inimici generi, facta in Mantuanum irruptione, licentia, motuque illo turbaret Italiae Statum, modestiaeque fines egrediendo, perniciosi exempli initium id fecisset. His armis Catholica interponi arma, partemque defendi eam, quae infirmior esse videretur, pars Regiae magnitudinis fuit: atque exordia calamitatum haec fuere, admisso in terram hanc externo milite, gentibusque subinde receptis, quibus pestilentia populare malum est, morbusque quotidianus, vt insueti nos luem ab ea contagione, perniciemque contraheremus. Sed praenuntia mali fames antecessit, cuius etiam dirae aduentum, & faciem exsequi pergam, tamquam scilicet historiam ancillari pestilentiae oporteat, quod fieri pene

videtur

videtur dum velut itinera furiae eius singulique incessus ordine describuntur.

DE TOLETANO ET FICEROA ET CONSALVO CORDVBENSE GVBERNATORIBVS VRBIS AC DE ORIGINE FAMIS.

INchoata, sicuti demonstratum est, serie bellorum, receptaque semel peregrinitate, porta simul ingens patefacta pesti erat, vt structo hoc aditu, & gradu, per alterum deinde illud esuriale malum, ad contaminanda, & peruastanda cuncta lues ingrederetur: fierique ita naturae ipsius ritu, & consecutione causarum oportebat. Nam, sicut artes, & nequitiæ dominantium, & humani animi peruersa meditamenta illa, rem ad arma deduxerant, conflauerantque bellum: ita ex bello fames, ex fame contagia oriri debuerunt.

Sanè sufficiebant alimenta Vrbi, populoq; vrbano, & agrestibus, & nostratibus, & externis, & praesidijs, & castris, & populabundo interdum etiam hosti, cùm per quindecim ferè annos, nunc gererentur bella, nunc omitterentur, & in pace, plus penè frumenti exportaretur ad foederatos alienis egentes, quàm quantum vsibus, necessitatibusque belli consumebatur.

Idque

Idque ſingulare temperamentum , & in rei frumentariae diſpenſatione, miraculo ſimile quiddam , vt & ſufficeret largiſſime nobis ea res, & externis, gratiae, vel compendij cauſa impertiretur aliquando, negareturue, attulere homines duo ad obtinendam , regendamque Proninciam ex Hiſpania miſſi , Toletanus, & Ficeroa, inter ſe comparati ſermonibus hominum ad laudem, & gloriam, haud aliter, quàm quomodo priores duos anceps etiam fama diſtraxerat.

Toletanus venerat prior ex veterum Hiſpaniae Regum ſtirpe ſicuti ferebatur, toruus tetricuſue quidam, auidus gloriae, impatiens æmuli, cunctos infra ſe deſpectans, exercitus bellis, in pace aſper, totius vitae forma compoſitus ad imaginem antiquitatis: & ſeculi noſtri prudentes, virtuti huic, innocentiaeque, & ſeueritati, diuerſum finitimumq; nomen aliquando imponere audebant. Comprimendo hic, & laxando opportunè annonam , prout etiam anni ſpes, & munera agrorum, reſtrictè, ſiuè large proueniſſent, ac veluti patris familiae ritu, impendia ſumptibus attemperando, & nihil niſi quod redundaret euchi ſinendo, aluerat opiparè plebem, cùm & gereret neceſſariò bellum, & iniuriae coeli terram interim gra-

grauissime afflictarent. Non mala modo famis aberant, sed nomen quoque illud ex communis sermonis consuetudine exciderat.

Par sub Duce, & successore Ficeroa securitas, obliuioque mali eius insecuta, & continuata est. Venerat successor Ficeroa iuuenis Toletano seni, sed consilio, atque rerum vsu pene senex, quemue Toletanus ipse in extrema sua aetate, annis, & expectatione gloriae florentem comparari sibi, vel etiam anteponi haud aegrè ferret. Vna certè re superior, potiorque erat, astu, & artibus, elegantiaque sæculi ad eos quoque eludendos, qui, Toletani antiquum, horridumue illud callidissimi, & politi ipsi irridebant.

Mox interregnum, & reliquiae belli prioris, bellumque recrudescens, & postea magnis natalibus, magna virtute, sed infesta sibi rerum Italicarum sorte Consaluus: atque post eum, implicitus propinquante circa Casalis moenia fato Spinula: ante hunc, adducta in Insubriam tot millia Germanorum: pressa oneribus haec patria: incubantes horreis frumentarij diuites: irata quodammodo culpis tellus: iratumque coelum: dum euehitur frumentum: dum frustra absumitur: dum malignè occultatur: haec, & alia famem inuexere po-

pulo, qui aliarum circa gentium altor, & nutritor, poterat omnia vendere, & nihil inuicem redimere eorum, quibus vita indiget.

DE FAME QVAE PESTILENTIAM ANTECESSIT.

MVlta triſtia, multa horrenda exempla famis retulere, qui veteris memoriae monumenta condiderunt, paſſimque narratur, quemadmodum, ſtrictis rubis, aut ſutrinae corijs foediſue animalibus nutrita ſint corpora obſeſſorum ab hoſte fameue publica. Praecipitaſſe de muris vltro ſe ſe multos deſiderio alimentorum, lateraue nuda praebuiſſe telis, vt ferro potius caderent, quàm tabe ſic lenta abſumerentur, aliaque deſperationis vltimae facinora eſurientium leguntur. Ego nihil compoſitum ad oſtentationem ſcenae gaudentis incredibilibus, ſed ſpectata cuncta hiſce oculis, & ſaepe defleta narraturus ſum.

Inceſſit, incubuitque populo malum hoc, & publica clades, non impetu ſtatim, moleque tota, ſed ipſa quoque gradatim, & ſenſim, tamquam ordine quodam regeretur etiam haec vitae mortalium tantopere inimica res. Eſuriere in mortem vſque pauperes primò agreſtes, deinde maiores diuiteſque ruſtici

velut

velut punientibus eos glebis ijſdem quas labore immodico fatigarant. Mox vrbanus luxus, vrbana vitia, poena, maloque eodem plectuntur. Ac niſi faceta in malis alienis, & procacia quamuis ingenia hominum obſtupefaceret propria calamitas: negotium plane comicum, ſcenicaſque perſonas, & vera ludibria ſuperbiae mortalium diceret, atque rideret, quiſquis praepotentes iſtos tremenda capita olim, & tantopere formidata populo intueretur, ſiue quiſquis, comitatus inſanos, & ſanguinarijs illis nutibus, atque miniſterijs attonita nuper omnia meminiſſet. Solitarij nunc fere proceres incedebant, manſueti, demiſſis auribus, quaſi pacem vultu expoſcentes, & obſoleta veſte nonnulli mutationem rerum haud obſcure fatebantur. Par ex diuerſo ſpectaculum eodem tempore praebuerunt olentes nuper vnguenta famuli gladiatores, miniſtri mandatis, ſupplice nunc ad ſtipem manu ſeminudi vagi per Vrbem. Tanta, vel poena, vel diſciplina vitijs, nequitijſue mortalium, vindice, ſiue magiſtra fame adhibita eſt. Sed qui innocentiores erant, acrius puniti ſunt, aratores, artifices, fabrique, & mendicitati iam proxima plebes, mendicique ipſi, & quibus ad aliena limina ſpes, & vita in vagando tantùm, pauper.

peten-

petendoque, & quiritando occupatis.

Opificia primò omnia, atque ad Reipublicae vsum, siue splendorem, siue ad nequitias, & humanae vitæ vitia, tot hominum ingenijs, tot saeculorum experimentis repertae, tantis quaestibus exercitae artes exoleuere paulatim. Tabernaeque illae, sedes, & alimenta familiarum, & haud dubiè praesidia vrbanae multitudinis claudi coeperunt: vel si apertae manerent, erant simillimè agro, qui sterilitate, & incultu squallet, horretque imago egestatis, & famis. Hoc destituta subsidio plebs ac ne ad opera quidem laboremque admissa, in triste resoluta otium, esurire, languere, perire fame coepit, insueta malo, & opulentia, magnitudineque Vrbis, particeps antea semper etiam ipsa deliciarum, & vestem, mensasque diuitum imitari, aemulari sumptus ausa. Nunc frustra supplex ijsdem, frustra requirebat famam, nidoremq; mensarum, quarum reliquiae pauperes aluerant: pauperumque etiam ipsa altrix promiscua multitudo, tota pauper, & mendica. Neque iam differebant à prioribus mendicis nouitij isti, nisi quod, & numerum eorum aggrauabant, & illorum vicissim vrgente numero, desiderium atq; repulsas impatientius ferebant.

Corpora consumpta egestate cibi procumbebant

Similitudo

bebant passim, siue errabant per compita, per templa, errabantque facie cadauerum, & cadauera mox fiebant. Neque gregem numerumque infelicem ideo minuebat mors, quae prouincias etiam, & regna exhaurit. Nam quantò plures absumebantur, peribantq; fame, tantò numerosior noua turba prodibat delabentibus ad egestatem quotidie familijs, quae trahebant secum alias, subtractisque subsidijs, vel facta frustratione, & fraude, necessitatibus ijsdem inuoluebantur. Crescebatque maximè numerus, eo quod, non ex agris tantùm, collibusque nostris, sed ex vrbibus etiam, populisque alienis, decepta vrbis nomine, ac magnitudine, & adhuc ignara miseriarum, in quas tenderet multitudo, Mediolanum, tamquam, ad certam opem, & parata scilicet hic alimenta confugiebat: ac res plane miseranda, spectaculumque id flebile erat. Ciues, agrestesque alieni Metropolim fame stimulante petebant. Metropolitani in agros, Vrbesq; finitimas, ab ijsdem stimulis, ab eodem errore ferebantur. Et spes vtrosque delusa in itineris fine angebat, vel etiam, spei huic, itineriq; & labori vano immorientes, nihil aliud lucri fecerant, quàm, vt in solo, terraque aliena expirarent.

Vidi ego circum Vrbis moenia fortè ambulabundus,

criptio mulieris ame absumpte.

labundus, & vidêre qui mecum vnà ibant, mortuam in militari via feminam, pendente ab humeris ſarcinula, circa pectus ſuſpenſo faſcijs infante, vt appareret, iratam negantibus alimenta coelo ſoloque, ſublatis, quae minus inuiſa habebat, abire aliquò voluiſſe, morteque retentam, quae concepta praecordijs exturbaſſet abalienatum illud vitae iure corpus, atque exire Vrbe coegiſſet. Sed & graminis herba ſemimanducata prominebat ab ore, fauceſque, & labia contaminata notabantur, inditium efferatae famis, pabulique ab rabie, & deſperatione quæſiti. Atque enecta ſic matre, infans quærebat vbera vagitu, qui, tamem pariter, deſperationemque fateretur, quantamcumque capere ſimplicitas illa poſſet. Ea comitatui noſtro ſpecies obiecta confuderat moerore animos, & ſuperuenere, qui miſerati caſum atrocem, ſublato inter manus infante, materna munera exſequebantur.

Pleraque ſimilia iſtis, & atrociora nonnulla quotidie referebantur ab ijs, qui ipſi viderant, quiue ab alijs viſa audierant vltima exempla mortalium ſortis, mortaleſque ita ab ſumptos, vt mors leuiſſima poenarum fieret. Ritu naturae, legeque humanitatis inſtitutum eſt, vt pane alatur animal rationi natum, virtutique,

&

& coelo: atque propria nutrimenta haec hominis habentur, ex quo ſemel à glande, ſyluiſque diſceſſere priores, domiciliaque, & menſas illas relinqui belluis famae humani generis interfuit. Interciderat hoc tempore ritus hic honoſque, & clementia naturae apud agreſtes: nec ad vetera modò redierant alimenta, ſed infra beſtias etiam, pabuli foeditate deſcenderunt. Victitauere corticibus arborum, ipſiſque epulis excruciati, pretium hoc talia manducandi ferebant, vt tam infeſtae vitae poenis feſtinata morte eximerentur. Optime meritis agricolis, quorum ſtrenuae manus etiam otioſos aluerant, moriendum ita erat, & moriebantur in veſtigijs, glebiſque ijſdem, quae ipſorum ſaepe ſudore rigatae meſſem vberem dediſſent. Plures fuere, qui fugiendo procul ab talibus exemplis in Vrbem, caſuum ſuorum horrore, aſpectuque miſerabili, fugere ex Vrbe pleroſque coegerunt. Cum tenera prole deſerta mater, ſiue cum vxore maritus, onuſti liberis vterque tergum, ac totae domus agricolarum, trahendo feſſa, & defecta corpora, ſi in Vrbem vſque peruenire potuerant, quà deprehenderat itineris finis virium quoque finem, pro cubili humum, & ſuggrundia aliqua pro tectis occupabant, atque quotidianis ho-

rum

rum aduentibus, & hoſpitijs, permixta mendicorum vrbanorum turbâ viae complebantur. Odor inſolitus inde, & aſpectus odore tetrior, ac rurſus adſpectu ipſo triſtior etiam animis obiecta imago ſortis miſeriæque mortalium, ac veluti per mediam haud dubiè peſtem iretur, oſque, nareſque viator ſibi occludebat. Per diem viſu, per noctem vlulatu, ac quiritatione, infelix haec turba miſerias Vrbis augebat: eratque inter calamitates, videre, & adſpici, & audire, cùm exprobratio quaedam illa eſſe videretur, & veluti reum vnuſquiſque tantae deformitatis fieri ſe ſe exiſtimaret.

Sed in tanta colluuione rerum, ac deformitate, nihil magis vtique turbabat animos hominum, qui liberali aliquo ſenſu mouerentur, quàm ſquallor, & horror, & ad maciem extremam, tabemque deducta ſimplicitas, & innocentia, ſtrenuitaſque agricolarum. Sicuti bos arator, totum diem ſub ſole, ſub iugo pondus immane trahendo, terramque findendo durauiſſet, indignaretur, atque praeferret naribus, & ceruice, roſtroque iras, ſi pabulo ad extremum, ſtipeque debita fraudaretur: ita cernere erat, bouinis oculis homines aratores in ipſa calamitate, & luctu toruum quiddam, & ſimile furori tuentes, quia nullis ſuis laboribus

similitudo.

redimere

redimere illa famis tormenta potuissent, quodque ipsa etiam laborandi facultate prohiberentur. Cernebantur adusti, retorridi vultus, abditi introrsum oculi, pectora torosa, corpora vix hærentia ossibus, toris lacertisque consumptis, pudorque, interim, & verecundia subibat: veteres etiam Romanos Imperatores arasse, fodisse, & laureatam triumphalem artem nunc fame ita emori, cunctaque ista, in parte publici dedecoris, dedecus imò publicum accipiebantur.

Descriptio viri emaciati

DE PVBLICO CONSILIO SIVE DE LX DECVRIONIBVS VRBIS PER QVOS FAMI EGESTATIQVE PVBLICAE SVBVENTVM.

INter alia Mediolanensium consilia, & Magistratus, LX Decuriones sunt. Hi statum Vrbis annonamque, quodq; patrimonij nomine publice possidetur, regunt, flos haud dubie nobilitatis, summaque inter nobiles potestas. Indigenae patritijque omnes à Gubernatore Prouinciae leguntur. Nulli peregrino aditus in id Concilium est: parque ibi, & peritia patriae rerum, & cura: par concordia inter ipsos curandis Reipublicae vtilitatibus, certamenque, cui Respublica plurimum debeat.

Inte-

Interimque praecipua ſolicitudo cunctis, vt nomen Vrbis, & fama ingens, quam veterum bona facta pepererunt, ſarta tecta conſeruetur, porròque maior etiam in dies fiat. Cùmque ſexaginta numero ſint, (nongenti olim fuere) apparet totidem eſſe inſtitutos, vt in eo numero, eoque delectu reperiretur quicquid publica dignitas optare poſſet.

Sunt pacis artibus innutriti: ſunt qui magis nouere artes, viaſque bellorum: ſunt manſueta ibi, ſunt turbida etiam ingenia: alium miſericordia, & lenitas, religioque in conſilia ducit: alium nequitiae, vitiaque mortalium aſperant, ſiue ipſe nequitijs pariter, vitijſque miſcetur. Hic parcè, & reſtrictè agit: illius ſententia ad larga, & effuſa cuncta inclinat: tantaque diuerſitas, & mixtura ingeniorum ad Patriae commoda mirifice congruit, qualem nempe mixturam, atque diuerſitatem veteres ſapientes in deſcribenda perfectae Reipublicae forma optauere: ſcilicet, vt acria lenibus temperarentur quod in ciuili adminiſtratione ſaluberrimum eſſe crediderunt. Sed nihil in hoc publico conſilio ſalubrius, atque ſapientius inſtitutum eſſe arbitror, quàm quod regendis, adminiſtrandiſque rebus appoſiti ſunt, quorum maxime intererat, Rempublicam eſſe ſaluam,

quiue

quiue opibus etiam ipſi ſuis adiuuare ſalutem poſſent. Videntes igitur iſti cladem, exitiumque,&foediorem exitio faciem deformitatemq; rerum,atque indignum Metropoli caſum,ſi tamquam in pauperrima domo, negatis alimentis, fame populus periret ad ſubueniendum erexere animos, atque Lazaretum veluti publicam vniuerſæ plebi domum aperuerere.

DE LAZARETO RECEPTAQVE ILLVC MVLTITVDINE PAVPERVM.

COndidere Mediolani Duces id opus, quo tempore Imperium hoc Sfortia adeptus, ſuae ſtirpis hereditatem Prouinciam facere voluerat: poſterique eius Vrbem ceu domum verè aliquam ornandam operibus, excolendamque ſibi ſuſceperunt: in quibus hoc Lazareti opus teſtatur regales nouorum Principum animos, ſpiritusque, non fortunae, lociue eius vnde profecti erant. Vergit ad ſeptentrionem porta Vrbis, quae deſteriore in ſolem orientem flexu, Orientalis ex eo nuncupata eſt:coeliq. vel ſaluberrima plaga haec habetur, oppoſita collibus, vnde ſpirant aurae molles: nec ſunt humentia circa,ſordidaeue paludes,que purum, & liquidum aera, ſicuti alibi, corrumpant, atq; inficiant

Regionis De

inficiant. Ibi Lazaretum posuere Principes sedem, atque receptaculum affectis pestilentia corporibus, si quando calamitas incideret, vt separari morbosa siue suspecta corpora ab integris, salutis publicae interesset. Nomenque loco illud ex vetere Lazaro inditum esse reor, quem vlceribus, & tabe scatentem ad exemplum iustitiae simul, & clementiae diuinae sacrae litterae inducunt.

Descriptio Lazareti

Forma, & descriptio aedificij totius quadrata est: campos late patentes includit: cingitur fossa, quam ab suis venis emicantes aquae implent: cubicula numerantur paria totius anni diebus, quae octonos siue denos capere singula possint, appositis insuper, atque excurrentibus in singula latera porticibus, quae cubiculorum vice praebeant tecta multitudini. Et rursus, structis ordine tugurijs, in campos, tamquam in atrium impluuiumue exonerari haec potest, sicuti patrum, & auorum memoria factum fuerat, cùm depopularetur pestilentia Vrbem. Medio in campo stat ara conspecta vndique, imminente desuper tecto, quod porticus in gyrum columnata sustinet, ne prospectus impediatur, neue mysteria venti atque imbres turbent.

Haec, quae fuerant aduersus pestilentiae malum

malum olim parata tecta, ſubſidia aduerſus famem hoc tempore fiebant, vt paulò poſt ad priſtinos vſus redirent, turbaeque ibi peſtilentes alerentur. Quicquid pauperum in Vrbe erat, quicumque ex agris ad vrbana ſubſidia fruſtra contenderant, omnes, qui vagabantur, aut iacebant per compita deſtituti, famelici, nudi, propoſito edicto in hanc publici hoſpitij ſedem euocantur. Imò potius Ciuitas ipſa, publicaq; maieſtas oblita egeſtatis, inopiaeque ſuae, materno in populum regali munere perfunctura commigrat in anguſtias illas, ibique munificentiae ſolium locat. Moram publico edicto, domuique aperiendae parumper attulerat ab alterius mali imminentis metu profecta res, & oblatum fortè impedimentum. Namque, dum pedem, & veſtigia famis antecedentis terit calce ſuo peſtilentia propinquans, & populorum, gentiumq; finitimarum ſatiata funeribus, Vrbi etiam huic ex longinquo minitatur: mercimonia omnia, quae interim veniebant ab gentibus, populiſque ſuſpectis, haud aliter, quàm peſtifera capita & funeſta, periculi atque experimenti cauſa, in haec ſepta cõdebantur: atque iam tota occupata domus erat.

DE HOSPITALI DOMO STELLAE AC DE INSTITVTA ILLIC ATQVE INTRA LAZARETVM DISCIPLINA.

SVbſidio fuit alia mendicantium domus, & ſatis in praeſentia capax, & eo ſitu, ac vicinitate hortorum, vt porrigi in vlteriora, facileque amplificari poſſet. Stellae cognomentum Xenodochio eſt, receptaculumque id extremae mendicitati puellas ferè pueroſque alit terrae plane filios, imò, quos terra ipſa proiecit, capita ignara ſuae originis, abſque parentibus, ſine lare, & foco. Ea ſubitaria publicae hoſpitalitati ſedes, atque temporarium eſurienti populo domicilium fuit. Multi exangues iam penè ſenes, & debilitate macieque ſenum iuuenes vtriuſque ſexus, aetaſque tenerior, vrbani pariter, & agreſtes, qui pridem, quiue nuper eſurire coeperant, queis mali eius ingenua verecundia, & pudor inutilis, queis procacitas, & impudentia irrita, omneis impliciti fame, & neceſſitate eadem, congregantur illuc: & quantum numerus quotidie creſcebat, tantum conclauia illa, hoſpitaleſque termini proferebantur. Creſcebat ſimul munificentia ciuium erga coeptum opus: atque in domeſticis anguſtijs fraudantes nonnulli ſe ſuo victu, tributa eò, ſtipeſque mit-

tebant

tebant. Fuere, qui in vitae termino, ſpe atque cupiditate proximorum exheredata, quicquid ſuperfuerat, legarent hoſpitio huic, quà ſeparata menſis, diſcreta cubilibus multitudo tanta degebat. Ad tria millia contubernalium pauperum intra paucos dies fuere, pluresque quotidie fiebant. Sed notatum interea eſt, manifeſtoque experimento compertum illud, quod prouerbio ludicro irridetur: dulcedinem nempe quandam eſſe mendicandi. Viri feminaeque, quibus, ſine tecto, ſine cubili noctes, ſine vllo certo nutritu dies agebantur, qui expoſiti ventis & imbribus procumbebant, ſub operta vocabantur, vbi cibum, vbi lodicem, & quietem acciperent: & ſatellite tamen opus erat, per quem comprehenſi vinculis iniectis ducerentur: iſque magiſtratus hoc tempore in Vrbe fuit, denis aſſibus in ſingula capita conſtitutis, vt lictori pretium id eſſet, quotieſcumque captiuum pauperem ille ſtiterat. Apparebat, malle mendicos noſtros petere per compita pabulum, quàm alibi accipere, & eiulare libere ſubdio, quam pernoctare clauſos. Iam ſarcinae externae multiplices, & mercimonia omnium generum ſuſpecta peſtilenti contactu, quae primis diebus fuerant impedimenta Lazareto, ſuffimentis experimentiſque properatis, tentata

purgata,

purgata, in locum vnum congesta, sedem eam, atque domicilium, pauperibus accipiendis, & disponendae per cubicula plebi liberarant: neque Stellae hospitiũ illud, de quo narraui, sufficiebat. Igitur, aperto hoc etiam altero hospitio, bifariam hominum turba collocatur: hinc vbi fuerant antiqua receptacula desertis, hinc vbi contagia pridem habitauere, & rursus habitare debebant. In sedem vtramque dum confluunt vltro quotidie voluntarij multi, & inuiti plures à lictore ducuntur, completur vtraque breui tempore sedes, & pari vtrobique cura multitudo tanta sustentabatur.

Non sumus profectò grati erga nostrorũ temporum decora, & virtutes: atq; recentium incuriosi prisca tantũmodo admiramur. Si quid haec aetas praeclari atque admirandi tulit, in vili habetur. Non ego, si redeant saecula celebrata Laconum, & disciplina illa vetus, censeam exhiberi posse instituta praestantiora regendae intra parietes aliquos multitudini, quàm quae Proceres nostri hoc tẽpore exhibuerunt. Sed aberat rigor, & toruitas inhumana, & rursus peccare docens indulgentia, quae antiqua illa, & praeclara Græcorum haud dubiè deformabat, dum vnius prouinciae ciues intra eadem conclauia iuncti virtutibus vitijsque permiscerentur. Non hìc

sicuti

ſicuti apud profana illa contubernia veterum, callidae libidines, callidaq; furta pro virtutibus habebantur. Sed in tanta colluuione mortalium, honeſtatis in primis habita cura, ſedulòque effectum, vt efferata malis ea multitudo, atque per licentiā exſolutae, & alienatae mentes ad Chriſtianae diſciplinae cultum, & iam oblita illis inſtituta traducerentur. Specimen illuſtre, ingens catholicae pietatis ediderant hoc tempore praeſides nobileſque noſtri, dum alerent ſimul, excolerentque ita plebem: ac mihi etiam apud ſuperba politica ingenia impunè fuerit, quendam eius rei, diſciplinaeq; ordinem hoc loco expoſuiſſe, prout ſpectare talia non ſemel gratiſſima voluptas fuit.

Res diuina quotidie fiebat ad Aram, quae, ſicuti dictum eſt, media regione campi, ſubdialis eadem, & operta tecto aſpicitur praetentis in quadrum campo vniuerſo porticibus: & porticus viciſſim ipſas, atque oſtia cubiculorum adſpicit, vt ab limine, & ſtatione quiſque ſua poſſit myſteriorū eſſe ſpectator, quibus humani generis cauſa, Dei filius immolatur. Peracto ſacro, ad opera ibant, prout artem quiſque aliquam, & vmbratile genus opificij intulerat. Ita, quaeſtu ſimul nonnullo iuuabantur, & otiū vitabant, rem adeò miſerabilibus quoque turbis

inutilem

inutilem atque perniciosam. Desides tamen, otiosiq; multi vagabantur per ludum, atq; lasciuiam extrahentes tempus, donec dimensa venirent. Hi tugurijs, & operibus alienis importunè oberrando molesti erant, nec potuit adeò constans esse disciplina, vt non, et turbarum infelicium vitia aliqua in solo illo germinarent.

IMPROBATVR DISPLICETQVE LAZARETVM.

SEd et corpora magis adeò, quam animi corrumpebantur: suntque tam crebrae mortes insecutae, vt parua quaedam pestilentia illa dici posset. Causam morbi ad fraudem mancipū retulere nonnulli. Eos corrupisse frumenta sabulo admixto, panesq; adulterasse. Ego ad calores illius anni maximos, haud minus referri potuisse existimo: simul ad corporum ipsorum illuuiem, & pedorem, qui comitatur ferè mendicos, & confertam illic sub tecto multitudinem turpius affecerat. Insuper, adempta libertate, ac iure vagandi per Vrbem, gratissimum id sibi pabulum, atque laxamenta, frementes gementesque mendici requirebant. Desperatio, & moeror, taediumque, & odia domicilij illius in singulorum vultu eminebant, neque lamentis, & querelis abstinebatur. Ideo nimirum, in

claustra

claustra se fuisse coniectos, vt, ne in patriae quidem conspectu morerentur, neq; patriam nouissima luce adspicerent. Fremebant talia, fremendoque moriebantur. Etiam Proceres Vrbis pudor & dolor, & indignatio ceperat, quòd sumptibus, & alimentis illis, tantaque inter publicas angustias liberalitate nihil aliud profecissent, quàm vt viderentur vltro necasse, quos alere ac sustentare voluerant. Itaque re communicata, rursus, consilij viam hanc in malis aptissimam esse censuerunt, vt dimitterent quamprimum inde homines vniuersos, & iure, ac licentia pristinae mendicitatis redonarent. Postquam ea sententia stetit, aperitur effundendae multitudini Lazaretum, gratia, plausuque maiore, quàm cùm extorris, egena, sine tecto, sine lare, multitudo nuper eadem, ad mensas, tectaque illa congregaretur. Ad breue tempus liberata Ciuitas odioso funestoque adspectu, spectacula nunc rursus eadem stomacho taedioque pari repetebat, nisi quòd miseratio etiam augebatur reputantibus quae causa numerum imminuisset. Ipsis subsidijs, ipsisque alimentis, & publica ope absumptos fuisse pauperes videbant, plusque pudoris inde etiam, quàm cùm absumi fame olim viderent.

DE TVMVLTV POPVLARI OB FAMEM.

ANNO, quem fames hactenus repraeſentata ſequebatur ad III. Nonas Nouembris, quæ D. Martino ſacra dies fuit, ob rei frumentariae caritatem Mediolani tumultuatum erat; cùm raròaliàs eiuſmodi tumultus incidiſſet in Vrbe ſcilicet, quae, ſicut initio retuli, finitimis, longinquiſue etiam, propter agri vbertatem, frumenti copiam antea facere ſolita fuiſſet. Eius negotij initia, & finem expediam: quomodo ſcilicet, & cõmota licentia plebis, & repreſſa fuerit: quaeue publica conſilia, & remedia adhibita ei malo ſint, tum vt in praeſentia ſedaretur, tum verò ne exiſteret inpoſterum, neue multorum capitum beſtia illa Regibus etiam Ciuitatibuſque potentiſſimis, ſemper formidata plebes, aut ferret impunè quicquid illud nunc auſa eſſet, aut auderet iterum.

Fererius, hoc tempore Magnus Cancellarius, abſente Conſaluo Gubernatore, ſtatum rerum, Vrbemque regebat. Is, ingraueſcente quotidie magis annona, cùm, neque laxamenti quicquam inueniretur, & fremitus iam, ac lamenta populi audirentur, adiecerat remedio animum, quo dilata magis, quàm ſublata cauſa ſeditionis, malique imminentis erat, quo-

ue

ue remedio, pars hoc tempore non vltima rerũ, frumentarij, pistoresque exacerbati minitabantur extremum malorum: nempe se se negociationem eam, & artem, & mercimonium omne deserturos. Tritici modius vendebatur, vt minimum, quadraginta quinque, seu quinquaginta libris: pretiumque hoc veluti iustum, & vulgare erat, quod neque venditor poscere erubesceret, neq; emptores cum indignatione audirent. Sed praeualidi mancipes, impudentissimi foeneratores, praediatoresque locupletes, pretia priuatim in occulto statuerant, dixerant, pronuntiauerantque, & asserebant, polluto, efferato, vilissimo ore, enormia, & immodica, tamquam aut facti ipsi potentes, arbitrique vitae Ciuium, aut spiritus, & vita tantummodo ipsis. Scio ego fuisse nonnullos, ipsosque noui homines, qui centena aeris in singulos modios poscerent, neque eo contenti, spe inposterum maiore, clausa horrea tenerẽt, velut necessitati, famiq; publicæ minitantes. Neque aduersus auiditatem hanc, seu potius rabiem hominum auarorum solita edicta profuerant, queis profiteri singuli cogebantur, quantum quisque frumenti numerum domi haberet. In ea caritate annonae simul, fraudeque, & auaritia hominum, siue etiam, in ea penuria, & publica egestate, coelique, & tem-

porum

porum iniurijs, excogitauerat Magnus Cancellarius, tentaueratque mediam hanc remedij viam, vt luerent piſtrina quicquid illud iniquitas hominum temporumue deliquiſſet. Fieri vendique panes iuſſit praeſcripto pondere ad eam aeſtimationem & metam quaſi tritici modius triginta tribus libris, nec vltra venderetur, emereturue: idque fortaſſe detrimentum ſarciri poſſe crediderat caetero mercaturae eius emolumento, quod habuiſſent antea piſtores, quodue inpoſterum habituri eſſent: ſiue etiam, vbi tempeſtas illa tranſiſſet, è publico poſſe compenſari, ſpem eis fecerat. Sed incerta quidem haec, damnum verò praeſens, & onus intolerabile erat: vociferabanturque piſtores, & aſſidue denuntiabant, ſe ſe clauſuros eſſe tabernas, deſituroſque artem. Non interim à Magno Cancellario poterat impetrari, vt ſemel placita mutaret. Ac Populus, velut oblatum ſorte quadam eo pretio panem, quaſi celeritatis & diligentiae munus rapere feſtinans, obſidebat aſſiduè furnos, & cum labore, ac feſtinatione coquentium certabat importunitate ſua. Tanto magis expoſtulare cum Rep. piſtores, nec poterant iam eorum querelae, denuntiationeſque ſuſtineri. Sanè Decuriones, datis ad Gubernatorem in caſtra litteris, egêre

cum

cum eo, vt temperamenti aliquid inueniretur: isque Praesidē Senatus, & Magistratus vtriusq; Praesides, & duos è Quaestorum numero nominarat, quorū consilio, atq; arbitratu, statueretur tritico pretium in sextarios, ad eam summam, vt durare, atq; exerceri pistrina possent: & congregati isti adiecere denos asses, quo ne minoris sextarij panis e pistrino peterentur. Sed quantū eo additamento recreati, & deliniti pistores erant, tantum accenditur ira furorque plebi. Expectauerant, vt minueretur potius pretium, quam vt augeretur. Vbi vident conditionem sibi deteriorem esse factam, nihil vltra decretis, pretijsue opus fuit. Domini ipsi alimentorum suorum, & rei frumentariae dispensatores fiunt, atque in Vrbe, quae obsequio & modestia plebis erga Rempub. & erga dominatores gloriari iam inde antiquitus potest, cognosci hoc tempore potuit, quid Populus iratus, imò quid plebis ipsae quisquiliae, immistique pueri feminis, & inops, & imbellis illa multitudo, quid etiam secures, & fasces, & ipsa pene Maiestas imperij aduersus numerum infelicem, esurialesque turbas valeret. Aderat Sancti Martini dies laeta semper, & ferè genialis, ob vindemiarum eo anni tempore finem, comportataque vina in cellas, & velut migrantia rura cum mu-

neribus

neribus ſuis in diuitum ciuium domos. Eius diluculo lucis, atque etiam procedente mox die, ſicuti aſſolet, plenos pane ſaccos corbeſue geruli ad loca deſtinata portabant, prout, vel Monaſterijs domibuſue amplis coempta, & prouiſa cibaria, vel in diem alicubi venditanda erant. Copiam hanc panis intercipere omnem, imò veluti ſuam excipere populus coepit, haud aliter, quàm ſi ex antecondicto mitteretur ad ſe domum. Obuij facti, feminarum, adoleſcentũ, puerorum, ſenumque globi, ne fuſtibus, quidem teliſue vllis, ſed armati multitudine tantũ, & neceſſitate ſua, tyrannidem ita, imperiumque exercentes, vt in quoſque inciderant, ſiſtere, & deponere, & abire iubebant. Nec mora. Circumuenti repente ita, & attoniti, qui panem humeris ferebant, ne depoſitis quidem, ſed abiectis oneribus trepidabant aufugiebantque. Laniaretur vnguibus, pedibuſq; proculcaretur quiſquis ſtare contra, & repugnare vellet. Id audendi principium plebi fuit: ineſcatique paſſim dulcedine praedae, quae incruenta ſic, & ſine ſanguine obtigerat, vires ſuas reputare coeperunt, in eo poſitas, ſi tantummodo audere poſſent. Antea miſeros famelicoſque fuiſſe quia in perniciem ſuam modeſti & manſueti eſſe voluiſſent. Iam magnum illud ediderant

audaciae

audaciae, ſiue potius Imperij potentiaeque popularis opus, quòd, & gratuita cibaria corripuerant impetu, nutuque vno, & coegerant ad breue tempus eſurire potentiores, illuſerantq; domibus, & familijs, ad quas illa portabantur. Nec dum ira tamen, & indignatio Magiſtratuum in talia auſos, ſed tantummodo miſeratio erat. Et ludibria illa ridebant jidem, ad quos iniuria pertinebat, quiue diei eius panem fruſtra domi expectarant. Mox praedator in ſua patria populus ad infeſtiora prorupit. Piſtrina diripere ipſa ſtatuerunt: eòque ferebantur. Non author, caputue vllum: ipſa ſibi dux erat propemódum iam infinita multitudo: & multa ſeditionis ora, voceſquè. Clamant: irent, excinderent piſtrina caſtella famis & fraudum, miſeriae calámitatiſque publicae ſedem. Ad Portae Orientalis piſtrinum ita vociferantes impetus fortè tulit. Et iam erant arma furentium exercitui, quae fors dederat in manus, machinaeque tamquam ad bellum irent. Moliuntur, incenduntque fores: clauſtra perfringunt: conuelluntque cancellos: ac nihil deinde hoſtile omiſſum. Quicquid farinae ibi accumulatum erat: quicquid tritici in horreo aſſeruabatur, ſpargitur etiam humi, proijciturque foras in contumeliam. Fuere qui implerent aufe-

Simile quiddam in Virgilio, libro. I Æneidum.

auferrentque farinae ſaccos: fuere, qui carris exportarent, redirentque ſaepius per otium nemine contradicente ad eaſdem vices: & itinera Vrbis quà ierant redierantque iſti, cernebantur albicantia tamquam ninxiſſet. Haec praeda pauperum viliumq; plebeiorum erat. Sed qui in ea turba veluti primores, & anteſignani fuerunt, reperto etiam piſtorum aerario, quicquid ibi nummorum fuit (& erat pecunia multorum fortè dierum) abſtulere. Cùmque rabies, & auiditas Populi debacchata in hunc modũ eſſet in omnia, quae tumultum ipſum conciuerant, nec reliqui iam ibi quicquam feciſſent tot praedantium manus, ad extremum vertêre furorem etiam in ea, in quibus nihil materiae ad praedam erat, ligna, & tabulas, & corbes, & inſtrumentum omne piſtrini, atque congeſta cucta in cumulum vnum cremauere, veluti ſacrum Cereri, & Fami, & Diuo, cuius feſta dies occaſionem hanc dediſſet. Codices quin etiam ipſos, & aduerſaria rationesque mercimonij totius cremauere rogo eodem, & quominus ad hominum etiam corpora furor perueniret, nulla magis res ſaluti fuit, quàm fuga latebræue ipſorum. Seruauere latebrae eaedem, tectũ inter, & laquearia, praefectum quoque rerum capitalium, qui cum ſariſſophoris & ſatellitio ſuo ad

vim

vim, seditionemque prohibendam excitus in vltima spe, remedioque vnico, accurrerat, lapidisque tamen ictu petitus inter fugiendum aegrè euasit, mansitque abditus in angulo obscuro, donec prodire, & abire tutum fuit.

Exacto inter haec portenta matutino tempore vltimum flagitiorum fuit saeuitia, qua Vicarium Prouisionum optimum nobilissimumque Virum (est Mediolani Magistratus hic Praefectus ferè Vrbis, & publici consilij caput, creaturque annuus) ad necem implacabiliter, & efferate conquirebant. Id ab vno fortè exclamatum tota passim Vrbe personabat: atque ipse, siue strepitu audito, siue ab aliquo monitus, clausus, abditusque domi morabatur. Sicuti atro nubium globo, effusa procella, sordibus, & eluuie, ac terrore cuncta compleuit: Ita plebeiorum agmina aedes repente illas circumuenere, cladem, interitum, ignominiam, si successissent destinata, portantes. Attulerant scalas, & ferramenta secum, vt fores effringerent, siue per fenestras eniterentur; siue demum etiam, vt euaderent in tecti culmen. Inualida parietum ipsorum munimenta futura erant aduersus vim tanti populi circumfrementis, ac volentis vtique ingredi: nec de euentu dubitabant. Conspectusque

Similitudo

furor ingens.

tuſque ſenex eſt, malleum ſecum, & funem, & clauos ferens, atque dictitans, velle ſe foribus affigere Vicarium vbi laniatus à populo exanimatuſque foret.

His animis, atque hac deſtinatione cùm veniſſent, oppugnabant, & quaſſabant iam ictibus crebris pertinaciſſime Domum innoxiam, & aſcenſum vndique tentabant. Accitur à Magiſtratibus ex vicina Iouis Arce cohors Hiſpanorum, mittiturque illuc, vt praeſidio eſſet. Haec ipſa cohors, timuerat magis, quàm terruerat, vbi circumfuſum domui populum, quaſi exercitum vidit. Quid ageret illic inſtructus fiſtula miles, poſteaquam in permixtas viris feminas pueroſque diſploſiſſet, ſtrinxiſſet etiam deinde ferrum? Neque mandatum huiuſmodi habebant: & efferaſſent ira maiorá multitudinem hanc, quàm quanto impetu ſaeuiebat iam, atque domitis veluti frenis in praecipitia, & dirupta abibat. Itaque trepidare milites: ſtare procul: irriſui eſſe ipſi, & tela eorum, quae propter miſſile plumbum formidata ſemper aliàs, nunc vana, & irrita erant: ac ne auerſi quidem, ad huiuſce cohortis adſpectum oppugnatores in coepta aedium verberatione perſtabant.

Inhibuit pauliſper impetum Magnus Cancellarius

cellarius praecipiti iam ſenecta venerabilis quidam, & miſerandus ſimul, atque validus apud plebis animos, hoc ipſo, quòd obijcere ſeſe furori non dubitarat, adieratque tale diſcrimen. Is curru deuectus in medias turbas, nunc poſcens manu ſilentium, atque populi ſuppliciter aures, nunc interrogans humeris, & flexo capite quidnam agere vellent: interimque, vbi conticuerat ſtrepitus, & audiri aliquid poterat, panis quantum vellent, tacto pectore promittens, ſedabat quidem hac ſua lenitate tumultum: ſed compreſſit, ac ſedauit magis arte, quae inter veterum quoque ſeditiones, ſaluti fuit hominibus, quos populus ad exitium necemque depoſcebat. Namque affirmabat velle ſe curru ſecum eodem deportare Vicarium in Arcem, vt ibi, ſi qua ipſius in tam benemeritam plebem iniuria teneretur, daret poenas, & puniretur more maiorum. Id plebi placamen: ſublatuſque Vicarius in currum, haud aliter, quàm ſimulatione ſupplicij, mortem in eo diſcrimine euitauit. Iam ſerum diei erat, & remedij pars nox, tenebraeque inſequutae, ſatietaſque, & fatigatio, cùm in ſua quique tecta paulatim, praeda & punito vtcumque dolore contenti dilaberentur, ac fruerentur ibi inter ſuos parte quietis, vel

actae

actae rei ſermonibus. Magiſtratus tamen, Decurioneſque Vrbis, veluti minacem eam noctem, & in noua ſcelera fortaſſe erupturam timuere: Vicarijque aedes, traiectis per viam tignis, & appoſita militari ſtatione firmauerunt: ac de remedijs inde conſultabant.

Egêre primùm omnium, vt copia panis in poſterum diem, quae Dominica dies erat, affatim, largeque ſuppeteret: ac tota nocte apud piſtrina feruebat opus: ſimul mandata opportuna dedere, vt frumentum vndiq; conquireretur, ne deeſſe poſſet. Viroſque primores elegerunt, qui ſummo mane digreſſi in ſuam quique ſtationem piſtrina cuſtodirent authoritate nominis, & fama, gratiaque, & fauc.e quodam in vulgus prohibituri tumultum, ſi recrudeſceret rurſus, vti accidit. Orto die, quies populo erat. Prodibant ad coemenda cibaria ſemiſopiti: tendebant itinere quiſque ſuo: vix inter ſe colloquebantur: crederes verecundia pridianae ſeditionis eſſe confuſos.

Aliquantum id ſpatij fuit. Mox exarſere truculentiore impetu, non tam vti ſpoliarent, diriperentque piſtrina, quàm vt euerterent etiam à fundamentis atque demolirentur, ſiue vt ſubderent faces, atque inflammarent. In piſtrinum Curiae Ducis ea noua rabies praecipuè

cipuè incubuerat: iamque egeſto inde quicquid ibi farinae, & frumenti, quicquid etiam vtenſilium erat, parabant inijcere ignem, & inuoluere cuncta flammis, ſiue nihil vltra cogitantes, ſiue vltro meditati hoc, vt traijceret in vicina tecta incendium, & continua, dein longinqua corriperet. Id flagitij parabatur. Verùm ab vno pio homine vicinitatis eius fortè excogitata res, quamuis non illico deterruerat ab tanta ſaeuitia plebem, dederat tamen ſpatij nonnihil, vt miſtum illud damno dedecus inexpiabile vitaretur. Namque vexilla Crucis, accenſis hinc inde funalibus, ante piſtrinum repente collocata conſpiciebantur, & pendens altè Saluator, per tormenta illa, quae ſeruauere genus humanum, expoſcebat ſcelerum inſaniaeque finem. Ita mitigati paulisper erant, prout ſcilicet, numquam tantae fuere miſeriae populi huius, vt pietatis inſitae obliuiſcerentur: & Chriſti necis horrore, atque imagine obiecta animis attoniti conſtiterunt.

Aderat interim ex Aede Metropolitana Clerus vniuerſus: velati Canonici inſignibus ſuis compoſito agmine procedentes immiſcuerant ſe ſe turbis: reliquerant in Templo ſolennia ſacrorum ob huius nuntiati periculi terrorem

rem, & Crux maxima praeferebatur: flammisque ita temperatum est. Ad pistrina deinde minora plebs auertitur, quà nempe panes atri venduntur: nec finis, antequam, & plebeio huic, & triticeo pani pretium à Magno Cancellario statueretur, quo ne vilius quidem optare potuissent. Statutum est: plebeij panis octonae vnciae darentur in assem: Nobilior alter trinis libris in sextarios singulos vendi iussus. Tunc enim verò haec desperata plebes insolescere laetitia: ridere amarùm: in angulis, tabernisque iactare, quòd annonae vilitatem ipsa sibi fecisset: simul cauillari, atq; incusare breui duraturum id munus: infectum veneno cibum dicere: non capere vtique tanti boni fidem, & interea tamen frui velle praesentibus: accurrere: emptitare, vel è superuacuo: implere arcas, & doliola, & lebetes: abscondere modis omnibus, quasi rapturi mox ab ore panem forent ijdem illi, qui vendiderant.

Haec omnia cùm ita agerentur, interfui ego: incideramque fortè ita in principia seditionis, vt cura humani ingenij ad finem vsque spectator esse vellem, nihil sanè minus eo tempore cogitans, quàm futurum esse me aliquando narratorem etiam huiusmodi rerum. Sed & reperi nunc inter acta Ciuitatis adnotata con-

signata

ſignata ſic ordine cuncta, prout moueri primò, deinde gliſcere, poſtremò fatiſcere, & placari, ac reprimi ſua ſponte tumultum videram.

Totum autem hoc, cùm, ita ſicuti retuli accidiſſet, non dolor, & moeſtitia ſolùm, ſed verecundia quaedam etiam in publico Conſilio erat, haud aliter, quàm vbi paterfamilias, lapſa fortè domi pudicitia, dehoneſtatam ſibi prolem, famamque eſſe maculatam videt. Acciderat ſanè etiam aliàs noſtra memoria caritas, & penuria annonae Vrbi, vt frumenti ſextarius ſeptenis libris ſtaret: Interdumque pretium id augeretur. Sed non ideo ruperat obſequium, modeſtiamue populus, cui gratia ſemper, & honos fuerat apud nobilitatem hanc, ideo quia reuerentia, & fide, erga nomen, maieſtatemque Regis, fuit multitudo ſemper altera quodammodo nobilitas: neque vmquam ab huius publici Conſilij authoritate diſceſſerunt. Nunc omnia violaſſe videbantur: nomen authoritatemq; publicam: Imperium, Regemq; ipſum, & Patriam, Vrbemque hanc, ideò charam, dilectamque Regi, quia robora virûm hîc, & modeſtia animis ſemper fuit.

Augebat Proceres illa cura inſuper, ne ferens miſta falſa veris in Regiam ſiniſtra fama perue-

perueniret, tamquam aliqua publici Consilij culpa deuentum esset in rei frumentariae angustias, quae causam seditioni praebuere. Miserant ob alia Ciuitatis negotia legatum ad Regem: isque Madriti hoc tempore erat, aliarum quidem rerum inchoata spe, alia verò penè desperans, prout natura negotijs, & non vnius formae postulata, quae attulisset. Ad hunc suum hominem per tabellarium expeditum miserê litteras, & mandata in hunc modum.

Infimae sortis homines fuisse paucos, qui, spe, ac destinatione furandi, primò pueros, feminasque concitassent: his deinde aggregasse se se alios: deinde plures, ac denique tumultum ortum populari seditioni similem ob annonae difficultates: dilapidata pistrina, Vicariumque Prouisionum frustra petitum ad necem; Accidisse haec, & alia, quae fusius ordine cuncta perscripta fuerunt. Proinde accederet ipse primò quoque tempore ad pedes Regis: exponeret Maiestati casum hunc: atque ita subijceret. Neque populi mentem eam, sed insaniam fuisse, impetumque repentinum: & nobilitatem vniuersam viuere animo, ac fide, quam à maioribus acceperint, quamue tantae Maiestati debeant. Neminem vnum esse Mediolani nobilem virum, qui non paratus

fuerit

fuerit in ea populari consternatione effundere vitam si pertinacior ea fuisset: & posteaquam desederit, quieueritque haec, cuncta iam etiam apud plebem esse qualia semper fuissent.

Inerant hisce publici Consilij litteris etiam alia, quae locis temporibusue opportunis, dicere, & exponere deberet Ciuitatis ille legatus, si arrepta motus huius occasione nonnulli fortasse aliquid praeter vetera Vrbis instituta, & iura nouare in Regia studerent, ipsamue Ciuitatem criminarentur apud Regis aures. Repraesentaret publici Consilij solicitudinem, & impensas, & nihil vmquam ab vlla parte curae remissum, vt suppeterent alimenta Populo. Nouissimè xv millia tritici modiorum, Duodecim millia seliginis in publicum comparata esse, negotiationemque institutam, vt copia, numerusque maior subinde comportetur in Vrbem. Neque frumentum vmquam Vrbi defuturum fuisse, si ea, quae decuriones facienda censuerant, facta essent. Censuisse enim imprimis hoc, atque etiam de ea re supplicasse potestati maiori, ne qua exportandi frumenti facultas cuiquam fieret. Censuisse, atque supplicasse, vt edictis, poenisque grauissimis sanciretur, ne frumenti coemptio esset institoribus, qui ab vltimis Verbani lacus oris,

oris, ad Vrbis, vſque portas venire cum iumentis, & mercari, traijcereque poſtea ab domo in Heluetios facili confinio poſſent. Etiam ex agro Laumellino, hoc eſt ex ipſo horreo Vrbis, traiectum in terras alienas, euectumque eſſe frumentum, cuius emendi, & in horrea ſua comportandi, piſtoribus, atque farinarijs Vrbis petita, & negata facultas fuerit.

PESTILENTIA VRBEM INVADIT

PONS Vetus, & vicus Portae Orientalis ſunt nomina partium Vrbis, ipſaeque paruarum Vrbium inſtar. Inde primi inceſſus, & prima indicia prodiere peſtilentiae incipientis, quae, ſicuti per continentia tecta flamma traijcit, ita per ſingulas domos, & per ſingula fere Ciuium capita itura erat, vt ſerpendo paulatim in agros etiam latè porrigeretur: nec finis, antequam, veluti coeleſtis prouidentiae miniſtra lues cuncta purgauiſſet. Haud alienum fuerit, diem etiam, & locum, perſonaſque notauiſſe, quo die, quoue loco, & quaenam in capita primum tela haec inciderunt, vt facto ita leniter initio, procella deinde telorum Vrbi ingrueret, atq; tot mortalium agmina ſternerentur. Gregarius fuit

vnus

vnus miles ex eorum numero, qui commotis Rhaetiae rebus apud Clauénam in statione positi fuerunt. Nomen viro Petrus Paulus Locatus. Is ad x Cal. Decembris, ab Tribuno Italicae Legionis, vnde erat, impetrato commeatu cùm venisset fortè in Vrbem, diuertit apud auiam suam Elisabetam nomine, ibique per tridui spatium securus pariter, incustoditusque manebat. Mox aegrotare coepit: & quia longior fiebat morbus, quàm, vt in tenui domo sustentari posset, in Valetudinarium Vrbis maximum ad solita egentium subsidia deportatur. Intra biduum mortuus ibi est: & corpore inspecto, reperti bubones, inditia manifesta pestilentiae, quae nusquam hactenus alibi deprehensa per Vrbem, in sermonibus tantummodo rumoreque hominum erat. Secutae deinde mortes omnium, quotquot sub eodem tecto mansitauerant, haud dubium fecere, quin contagium in Vrbe esset, ac delato protinus ad Magistratum casu, domus illa prima omnium clausa est. Columnaeq; domus ex possessore Columna appellatur, qui ipse cum vxore, & liberis, pestilentiae manifestus cecidit.

Hoc facto initio, per eas etiam, quas dixi partes, lentè serpebat id malum, tamquam scilicet clementia Numinis per interualla illa

&

& ſpiramenta, remedio locum daret. Nobileſque noſtri tamen, in quorum manu Reſpublica erat, parum intellecta ea diuina benignitate, ſegniter obuiam iere cladi: quod accidere ſolet, vbi vim ſuam imminentem infringi ſeu euitari Maieſtas eadem abnuit. Lentae aures, lenta remedia fuerunt: atque interim ab ipſis exordijs primoque ſuo inceſſu peſtilentia per aliquot dies minitabatur Vrbi ſimul, & quodammodo pauens ipſa latitabat.

Quia deſcendiſſet ab Rhaetiae vallibus, & quia ſteterat pauliſper intra illam tantummodo Columnae domum, fiebat ſic, vel longinquitate locorum, vel tarditate progrediendi, vt quaſi malum alienum, alienaque cura acciperetur. Sed & ante caſus, quos memoraui iſtos circa Februarij menſis initium anno 1627. percrebuerat incertus primo rumor peſtilentiae imminentis: certior deinde fama, nuntijque quotidie funeſtiores anteceſſerant aduentantem eam cladem. Ipſa demum aderat, obſcurè interdum, & furtim in capita ciuium latrocinans, alios ſternens vi aperta, ſubſidens, exorienſque rurſus, & ſicuti ſunt hominum ingenia, ſecuritatem apud animos, & metum, varioſque motus alternans, tamquam, aut ſibi finxiſſent inani ſuſpicione periculum, aut ad-

verſus

verſus pericula diſſoluti, negligenteſque fuiſſent. Sic appoſitae, dein remotae cuſtodiae, munimenta cancelli, teſſerae, inſpectiones ad portas Vrbis, morae, & experimenta quadraginta dierum, & quicquid aliud in tali diſcrimine cauetur, atque prouidetur, cautum aliquandiu, dein remiſſum, atque neglectum, varietate, & inconſtantia, quae ipſa portentum videri cladis poſſet.

Inter haec ſolicitudinum anxiarum, & fatalis negligentiae portenta triennium ferè exactum. Poſt primos illos deinde caſus, vulneratamque Columnae domum, centum, haud amplius, intra quatuor menſes periere vi eadem: numerus exiguus, ſi, vel genus, & natura morbi, vel magnitudo Vrbis, vel tot milia ſpatio deinde breuiore abſumpta inſpicerentur. Mox, velut irritata vinculis, & ruptis, per quae cohibebatur fera erupit, & ſine diſcrimine vllo corpora obuia laniauit. Laniamenta namque verè iſta corporum fuere, licet ſine telo, ſine hoſtili vulnere res agetetur. Saeuitumque atrociore ſpectaculo in hominum vitam, per contactus, & halitum, occultamque tabem, quam vbi patentia viſcera, ceruiceſque deſectas, & brachia abſciſa, foeditatemque aliam vulnerum inter duas contrarias acies furor humanus oſtendit.

Peſtilentia inva[r] viror\u0075m tota ui irrepie

DE

DE FVRORE ET INSANIA PLEBIS CIRCA PESTILENTIÆ FIDEM

INTER alimenta peſtis autem, quae plurima, & perniciosiſſima fuerunt, vt creſceret ita, confirmareturque malum, nullum ego, neque maius, neque perniciosius fuiſſe crediderim hoc ipſo, quòd credere nolebat plebs, peſtem eſſe hanc, ſibiliſque, & conuitijs, & cachinnis inſectabatur loquentes id verbum. Neque verò plebis haec inſania tantùm, ſed medici quoque nonnulli, ambage definitionum, atque non inuenientibus exitum diſputationibus eleuabant rem, carbunculoſque, & furunculos, & luxuriem inguinum, intemperantiamque libidinis irridebant, ſi quis conſuetos illos in peſtilentiae morbo tumores nudaſſet, remediumque popoſciſſèt. Febrium etiam eſſe contagia, & naturae deliquijs, ſiue ob cauſas occultas, & arcana viſcerum, ſubitò extingui nonnullos: haec, & alia prompta fallaciſſimae arti, ſiue diuinae artis malè periti homines in circulis diſſerendo, remedia, quae fuerant antecapienda diſtulerunt.

Profeceruntque iſti ſubtilitate fauorabili apud vulgus in tantum, vt contraria his, aut diuerſa cenſentes alij, qui perniciem, & exitium

tium intra portas, qui vim tabificam inesse corporibus, & circumspecte agendum praecauendumque monebant, non pro medicis iam, sed pro impostoribus, atque sycophantis, imò pro patriae hostibus eadem importunitate plebis acciperentur. Quaeritare opus eos, & emolumenti sui causa, pestem, vbi nulla esset, inducere velle aiebant.

DE LVDOVICO SEPTALIO PRINCIPE MEDICORVM AC DE DISCRIMINE EIVS CIRCA PESTILENTIAE PRINCIPIA

MEmorabo casum vnius, cui, ad eiusmodi conuitijs, & secuta dein publica calamitate, crescere gloria potuerat, nisi claritudine studiorum, & magnitudine ingenij iam ad summum ea peruenisset. Ludouicus Septalius erat Medicorum facilè princeps, philosophantium idem, & interioris litteraturae summus: addideratque etiam Arti dignitatem, tum caetera honestate vitae, tum pecuniae contemptu, quotiescunque ad pauperes, ad litteratos, amicosque vocaretur, & minima pars laudum, gloriaeque eius haec. Longa aetas ei: & veritate praedictionum authoritatem nactus,

nostri

noſtri ſaeculi Hippocrates apud prudentiſſimum quemque habebatur: magnaque reuerentia Viri etiam apud plebem, antequam vecordia temporis huius animos infatuaret. Is, die quodam cum ad aegrotos fortè ſuos, ſolito propter aetatem ſellae geſtamine circumferretur, adeò proturbatus eſt infeſto clamore baiulorum, atque mulierum, vt, qui ſuccollabant, hero metuentes, intra notam, & amicam domum, quae proxima fortè fuit, ingredi, ſiſtereque illic, pretium duxerint, donec tumultus ille reſideret, ac foediſſima turba dilaberetur.

Vociferabantur conſono clamore omnes: hunc eſſe caput aſſerentium, confirmantiumque peſtem: huius barba, ſupercilioque Ciuitatem in terrores agi vniuerſam, ne cateruae medicorum otioſe manerent eſſetque nonnihil, ad quod illi adhiberentur. Ita grauiſſimus, optimuſque ſenex, & antiſtes ſapientiae Septalius, qui innumeris penè mortalibus vitam excellentia artis, quiue multis etiam liberalitate ſua ſubſidia vitae dederat, ob petulantiam ſtoliditatemque multitudinis periculum adijt. Neque principi tantummodo medicorum huic, temeritate plebis inſultatum eſt: ſed Tribunalia ipſa!, ſanctumque Iuſtitiae

nomen,

nomen, & latas pro publica valetudine leges, illudere audebant, tamquam essent inania cuncta, & eos sibi timores authoritas publica finxisset.

PROCERES AD REMEDIA ACRIORA ANIMVM ERIGVNT

POSTEAQVAM, non credita primò aliquandiù, deinde contumacissimis etiam manifesta simul, & confessa pestilentia fidem sui fecerat, & tamquam in bello, per stragem, cumulosque corporum, eò processerat, vt traheret in se cuncta, & Vrbem occuparet ipsa, atque haberet, rursusque tamen à multis haec furia, imperiumque eius spernebatur: Constitui tribunalia, circumdari lictores, quaeri iudices, apponi magistratus, leges, & iura describi necesse fuit, fierique, & curari omnia velut ad Regni speciem attentius atque prouidentius, quàm sicuti facta & curata vmquam fuissent. Grauissimi Patrum electi qui praesiderent. Ioannes Baptista Archonatus, & M. Antonius Montius fuere. Hic illi successerat, & vterque vitam vere Senatorijs animis in eo munere posuerunt. Namque, pulcherrimam, & maximam Catholico Regi Prouinciam, &

Reip.

Reip. ſtatum, & quicquid reliquum miſerae Ciuitatis, patriamque ipſi ſuam, prudentia, & fide, & vigilantia, & contemptu periculorum tuebantur.

Hi Praeſides, id regimen ſummae rerum: conſiliaque, & adiutores è magiſtratibus alijs, primaque nobilitate, prout cuique, vel promptus in pericula animus, vel plurimum prudentiae inter ipſa pericula erat. In ſingulas portas, regioneſque Vrbis deſcripta munera, & vices, & dies, quos quique nobilium obire deberent. Edictum in primis, nequa mercimonia, quaeue iumenta, quoſue mortales, & ne rem omnino vllam intra moenia recipi admittique ſinerent, niſi explorata prius, chirographiſque teſtata incolumitate loci, vnde mercimonia, iumenta, homineſue illi venirent. Ac ne temerè pateret acceſſus, vtque milites ad cuſtodiam perpetuò excubarent, cancelli ante portas, tuguria poſt cancellos erant. Regionatim, atque vicatim, & per ſingulas in Vrbe Paroecias, nobiles alij, quibuſue curam illi delegaſſent, circumibant quotidie domos, neceſſitatibuſque multorum, publica impenſa, vel etiam priuato aere ſubueniebant.

Morbum ipſum, ſuſpicioneſue morbi, caſuſque quotidianos ita regebant. Qui inciderant,

derant, hi confestim, aut Lazareto tradebantur, ipsi familiaeque eorum, & omnes, qui sub eodem tecto mansitauerant: aut si remanere praeoptassent, apposito satellite custodiebantur. De quibus autem coniectura tantummodo aliqua, & anceps existimatio esset: hos quoque seorsim à caeteris haberi cautio fuit: sed aliquanto minus arcta custodia erat: ac si egestas manifesta esset, alimenta de publico accipiebant. Cadauera plaustris euehebantur, antecedente apparitore, qui submouebat clamore homines, & obuium quemque elata voce monebat, facessere procul, abstinere contactu, vitare Monattos, adesse mortuos, adesse pestem. Mortuis accipiendis, excauatae ingentes & vsque ad aquam depressae fossae erant. Congerebantur cadauera huc, superiniecta in singulos ordines viua calce, vt caustica vis citius absumeret saniem illam etiam sub terra formidolosam vitae salutique communi, si qua iam esset publica salus, & vita. Nam, quò plus mortuorum quotidie egerebatur, tantò plus egerendum in singula penè momenta, euehendumque erat: oppletisque decumanis, & maximis hisce voraginibus, alijae deinceps, atque aliae aperiebantur, quae tamen ipsae non sufficiebant.

D. CAROLI CORPVS AD PESTEM AVERTENDAM SOLENNI SVPPLICATIONE EFFERTVR

In tanto malo, tantiſque terroribus, cùm nihil humanae opis vltra occurreret, efflagitauere Proceres, atque impetrauere à Cardinale, & Archiepiſcopo Federico, vt Corpus, quod D. Caroli fuerat, aperto monumento redderetur luci, portareturque per Vrbem. Spem videlicet in eo ſummam habuerant, ſi mortales exuuiae diuini hominis reuiſerent adita ſibi compita haec olim, coelumque, & auras eaſdem, poſſe depelli inde tabem, & venenum, & quidquid illud ab omni parte, corporibus, ac vitae inimicum ſpiraret.

Poſteaquam petierant ab Eminentiſſimo Borromaeo Ciuitatis nomine Decuriones, annueratque ille, vt Sancti Caroli Reliquiae depromerentur ducerenturque per Vrbem: illicò trepidari coeptum eſt ad apparanda diſponenda, ornandaque omnia in eum modum, vt tecta ipſa, parieteſque, & viae, & facies Populi ſupplicantis, & quaſi ſuperfuſus ipſe aer, & cuncta ſimul faterentur pietatem inſitam erga Diuum, atque eſſent etiam hae quodammodò preces. Id publicae ſimulq;, & priuatae munificentiae opus fuit, cùm & effudiſſet ſeſe

Ciuitas

Ciuitas in omnes ſumptus, queis opes anguſtae mortalium poſſunt adorare superûm Maieſtatem: & ſinguli Ciuium, non inter ſe modò, ſed etiam cum Rep. penè ipſa certarent, ac ſuperare Decurionum edicta conarentur. Edixerat namque Vicarius, vt quacunque pompa ducenda eſſet, exquiſitiſſime ornatam, & excultam pro ſe quiſque frontem aedium ſuarum exhibere ſtuderet. Si reſtrictè nunc ſegniterque agerent, fortaſſe non vltrà dari tempus exercendae pietatis, opumque promendarum. Quà ſine domino domus eſſet, ſiue quà pauper inquilinus habitaret, ibi, vel ditior accola fortunis & ſplendore ſuo rem gerebat: vel publica res eadem vice defungebatur. Atque, vt ſpatia, & viae omnes, quacunque praeteruеheretur agmen eo die eſſent totae Corporis, reliquiarumque Sacrarum, & Diui eius, vnde petebatur ſalus, ſublata rhedarum importunitas, impedimentaque alia edicto eodem. Sua item mandata Clero ſuaſque caerimonias edidit Cardinalis: vt die, & hora deſtinatis tempeſtiue congregarentur in Templum: vt ritè expiati, purique conuenirent, vt pio, modeſto agmine deiectis in terram oculis, abſque tumultu, ſiue etiam abſque euagatione animi incederent. Ordo

agminis

agminis itineraque, & positiones, quà efferretur, quàue consisteret, quàue rediret Arca, descriptus ita, seruatusque fuit.

Ab Templo maximo, rectà, per viam quae via Decumana antiquitus dicta est, & flexu inde per viam trium Regum ad Pontis Nudi Crucem.

Ab Nudo Ponte, per Viam Latam; inde per Aream, quae Basilicae D. Stephani praeiacet: hinc noto flexu, per totum Portae Tonsae spatium, ad Crucem vsque sitam ibi post vlmos. Ab vlmis, & Cruce, per viam, quà ad eiusdem Portae cloacam itur: atque hinc ad Orientalis Portae Crucem. Ab Orientali Cruce rectà praeter S. Andreae Templum ad viae caput, quà Portae Nouae Crucem ipsa in capite altero Porta adspicit. A Portae Nouae Cruce, capto diuerticulo per S. Augustini viam ad minorem Vlmum atque inde ad Pontis Veteris Crucem. Ab Cruce Pontis Veteris ad D. Thomae Templum, & flectendo per D. Prosperi viam, ad Crucem Portae Vercellensis. Ab ea Cruce ad Corriuium: ab Corriuio ad S. Sepulchri Aedem: ab Aede ista ad Curiam Ducis. Inde per forum Mercatorum ad templum maximum.

His ita dispositis adque constitutis, age sanè: struitur adornaturque pompa, non tam-

quam

quam in peste, cladeque media, & in funestissimo, ac moestissimo tempore patriae huius, sed tamquam in publica gratulatione, natalique die Vrbis. Tunc lugubre spectaculum potuit esse laetitia ipsa Mediolanensium, festusque apparatus in funere suo. Neque luctus, & misericordia minor, si quis indigena, siue externus, in apparatu pompaque illa, alia quidem contemplaretur, alia verò diuinare posset. Contemplaretur inquam tabidae Ciuitatis, populique paulò post morituri alacritatem, & magnificentiam, opesque profusas, simulque amoenitatem, & certamen ingeniorum, ad excipiendum composito plausu cadauer, & ossa Pontificis, qui viuus etiam olim depulisse ab Vrbe pestilentiam crederetur: diuinaret autem id quod postea secuturum erat, stragem nempe tantam, & velut irritato supplicationibus Numine, congerenda paulò post in cumulos exanima corpora eorum, qui prodituro in lucem cadaueri excoluerant ita adornauerantque Vrbem.

Tridui spatium non amplius ad comparandum habuere, ex quo, transuehendis reliquijs, ducendaeque pompae dicta dies erat. Intra id tam breue tempus, compita viaeque omnes steterunt in triumphi faciem: neque veterum

modo

modò Romanorum munificentia ſtructos apparatus eos triumphales, ſed Romana quoque lingua loquentem eum triumphum exhibuere Ciues, quos concepta viſceribus peſtilentia ſimul, & elegantia ingeniorum agitabat. Emblemmata, & carmina paſſim, titulique, & mille inſcriptiones amplexae laudes, & decora Paſtoris antiqui cubitalibus ſanè litteris inauratis, ſed & ſententiae continebantur altae illuſtres, ſpecimina veteris Latij, tamquam, non in Longobardica Vrbe res ageretur. Arcus, & Arae, & alternantes per pulpita chori, quà ducebatur ibatque pompa, per totum iter, totoque flexu, & anfractu viarum viſebantur atque audiebantur. Textilia, tabulae pictae, & ſtragulae veſtis omne genus, vaſa, & quicquid pretioſi, vel antiqui domus vnaquaeque haberet, expoſitum, obuiumque Cadaueri Sancto venienti ſtabat. Parietes, & tecta pauperum regali ſumptu ornata erant. Inumbrabatur iter continuo deſuper textili, excluſoque per id tegumen aeſtiuo ſole, & ſtructis hinc inde ramalibus, ſyluarum horror, atque pars tenebrarum in parte pompae. Profectò, ſi non alta aeterna mente repoſitum, fixumque maneret, vel purgare, vel admonere Gentem, potuiſſe arbitror per huiuſmodi

obſequia,

obsequia, & placamina leniri coelestes iras, Ciuitatemque exitio eripi.

Placamen namque longè maximum aderat ipsum D. Caroli corpus, siue potius quicquid illud, ex corpore, ac mortalitate ipsius reliquum fecerat iniuria, tabesque aeui, quae, cùm marmora etiam, & aera exedat, truculentius, infestiusque corpora hominum absumit. Arca erat insuta peristromate serico albo, crystallinis ad latera fenestris, per quas corrupta Diui facies translucebat iucundiore apud piorum animos, oculosque specie, quàm si integra, & nitidissima foret. Canonici portabant: pars populi, Clerique praecedebat: pars sequebatur: velati suis insignibus ibant Sacerdotes, Magistratus, primores: facibus cuncta collucebant, & nudo plerique pede, ac syrmate oblongo alij, consternationem animorum, poenitentiamque testabantur. Interea tamen, omnium, & ab moerore, ac solicitudine animos, & oculos ab contemplatione rerum aliarum in se auerterat, mitrata illa caluia D. Caroli, squalidusque rictus oris, abdicato munere vitae, dentiumque horrida destituta seges, & inanes caui sinus oculorum, quam humani capitis compagem in Sancto Pontifice corruperat quidem, atque dissoluerat

mors

mors, poteſtatis, & licentiae ſuae ritu. Sed & veſtigia, notaſque nonnullas reliquerat, per quas vultus antiquus, & paſtorali honore grata facies agnoſceretur, qualem eam fuiſſe ſimulacra teſtantur.

Huc intenta erant tot millium ora, preceſque, atque audebant ſuo iure expoſcere, vt conſeruatum ſemel ab ſe populum, iterum tueretur dextera, viique eadem. Spectabant ita, & precabantur, ſimulque ab arido illo, & corrupto ſurdoque iam capite, ad praeſens aliud, ſpiranſque caput, preces, & ſpei partem vertebant ſublatis alte vocibus petentes ab Cardinale Archiepiſcopoque Borromaeo, qui ponè ſequebatur Arcam, vt offerret ipſe vota Patrueli, cui, & meritis, & ſanguine, & munere, corporeque etiam proximus iret.

SVPPLICATIONE HABITA PESTIS AVGETVR

INCASSVM miſſae preces, & velut excitata peſtilentia vocibus illis, amplius, infeſtiuſque ſaeuire coepit. Cuius tanti arcani cauſas exquirere, anceps, illicitum, nec ideò aſſequi poſſis, cauſaſue aſſignare, cur peſtilentia lentum aliquandiù, dein terribile negotium, eadem ab motis D. Caroli Reliquijs, & ſolicitato

tato veluti Coelo terribilior multò violentiorque facta fuerit, adeò scilicet, vt pij, sanique diuinitus immissum esse malum, stolidi, atque vaecordes, ne vi quidem, & potestate diuina depelli posse autumarent. Quàm lentè, quàm timidè, quàm cunctanter, ac propè diffidenter egerat furia per aliquot menses: tanto iam impetu grassabatur: Ad III. Nonas Iunias, qui dies erat D. Barnabae sacer, apertae sunt, & deportatae Reliquiae, gratulatione, quanta dici satis, explicarique non potuit. Ex eo die, pestilentia vim, & nomen, & regnum verè suum obtinuit. Antea, species, & vmbra tantummodo mali eius fuerat: semperque contagia, & mala generis huius, quae nobis, quaeue gentibus, vrbibusue alijs aliquando inciderunt incidentue inposterum, improprium id, ac veluti translatum ex alieno pestilentiae nomen habebunt, si quis aliena cum nostris comparare volet. Continens Arca Reliquias, & in corporis humani figuram, composita, trabeata, mitrata ossa Pontificis antiqui per octidui spatium, totidemque noctes in Ara maxima stetit adfluente illuc populo ad petendam cum precibus & lacrymis opem, quae iam coelestis arcani occulta lege, ac decreto, non quidem negata, & abscisa, sed di-

lata

lata erat: Eo temporis ſpatio tam multi perierunt, vt id ipſum pro reſponſo eſſe poſſet. Eiuſque reſponſi, ne ambigua interpretatio haberetur, augebatur, quotidie ſic pereuntium numerus, donec ad mille octingentos quotidiana ſumma peruenit. Egeruntur tectis, plauſtris euehuntur corpora exanima, omnis aetas, omnis ordo, ſexus vterque, nec fortunam, animoſue Libitina diſcernit. Non ſcrobes vllae, voragineſque extra Vrbem deſtinatae cadaueribus accipiendis, non cubicula Lazareti ſufficiebant multitudini alteri cadauerum, quae ſpirantia adhuc, & viua mortem optabant; Erantque miſerabiliores iſti, quàm quos mors tam repentina, & foeda abſtuliſſet.

FOEDISSIMA RERVM FACIES OB CADAVERVM ACERVOS, INSOLENTIAMQVE MONATTORVM.

MVLTA ſanè, & bellorum caſibus, & ſcribentium ingenijs repraeſentata leguntur ludibria rerum humanarum, qualia miſcens ſumma imis mors exhibere conſueuit. Sed quale ludibrium omnibus horis, hoc tempore Mediolani ſpectabatur nunquam alibi ſpectatum eſſe arbitror. Monatti deſperata

miniſteria

ministeria pestis, atque contemptu exitij praeceps in pericula vespillonum genus, quinam fuerint, haud cuiquam ignotum esse arbitror. Origo nominis, ex eo, quod relinqui solitarios oporteat, nec debeat se quisquam immiscuisse illis. Mortuos, siue moribundos, cadauera, bubones, saniemque bubonum, & purulentos artus absque discrimine vllo contrectant, atque in ipsis epulari cadauerum aceruis gratissima voluptas huic hominum generi est: turpiusque etiam, siue portentosius, quod proloqui pudeat, incubuere Monatti cadaueribus, vltima exempla libidinis, insaniaeque humanae exhibentes, nisi si tamen supra, vel potius infra belluas etiam ea portenta fuerunt. Vt quaeque maxime suspecta domus, vel etiam vbi nulla suspicio, tantùm quia suspicari de vniuersis iam licebat: ingressi isti, corripiebant pueros, puellas, maritos, vxores, tamquam ad Lazareta ducturi nisi pretio placarentur. Horum effingere personas procacissimi iuuenes, annectere tintinnabula plantis, ingredi domos, tentare cubilia, quaerere, vel inspicere plagas, eoque aditu tamquam auctoritate publica, quiduis aliud, ex disciplina facere, atque experiri non dubitauerunt. Acciditque aliquando, vt tempore eodem intra domum

vnam,

vnam, & laruae iſtae debaccarentur, & iuſti veſpillones ingredi vellent. Inde rixa, mox pugna pſeudomonattorum cum veris, legitimiſque Monattis; verberaque, & mutui ictus, nec ſine ſanguine abſceſſum. Atque huiuſmodi rerum etiam iudicia tractari apud Magiſtratus, pars publicae calamitatis fuit. Sed & miniſtri infimi magiſtratuum ipſorum, lictores nempe, & ſatellites, irruptiones in aedium penetralia, furta, raptus, iniurias ſemper quidem ſolita ſibi, tunc licentia temporis petulantius, & impunitate maiore exercebant.

Neque finis extorquendi ita, & rapiendi, donec accuſati comprehenſique nonnulli eorum, poena ſimul, & exemplum è furca pependere. Cùm tres vno die ſuſpenſi ſatellites eſſent, & carnifex iam fortè deeſſet, remiſſa vni poena eſt, ſi defungi munere vellet, quam conditionem laetus ille accepit, ſtrangulauitque Collegas. Sed Monatti velut ſuo iure petulantiae genus omne in viuos mortuoſque exercebant, trahebantque cadauera, veluti cùm macellarius homo, vitulos, haedorumque gregem vno omnes vinculo implexos in laniенam ducit. Viri ſimul, foeminaeq; erant, & cum pueris innuptae puellae, & affixum vberi infantem adhuc amplexu tenens mater, iuueneſque

nesque, & senes, & incubans domino seruus, aut faciem illius, temere protenso, vel in ora coniecto pede pulsans: diuites, pauperesque nudi: rara ad pudorem velamenta corporibus, &, si cui iniectum fortè linteum fuerat, diripuerant, abstulerantque vespillones. Huius brachia, & crura, caput illius pendebat è carro, inuoluebaturque rotis, & corpora tota passim humi prouoluebantur.

IOSEPHI RIPAMONTII

DE PESTILENTIA QVAE MEDIOLANI FVIT ANNO CIↃ DC XXX

LIB. II.

INERAT persuasio multorum animis, seri, spargique pestem, fraudemq; esse hanc coniuratorum, inter se Principum, ad Prouinciam, Vrbemque faciliore successu inuadendam: cui spei haud vmquam feliciter tentatae, infestius nunc, certiusque imminerent. Scilicet, acta per hunc modum vbique solitudine, ac vastitate, sublatisque cultoribus, defuturos, qui arma contra ferrent, nudumque & inerme solum habituros, quicunque occupare vellent.

Magni Reges, & proximi eis, iunctique siue interiecti destinabantur tam desperati consilij auctores: ac publica desperatione, iniuria fiebat haec illis etiam, qui maxime omnium res nostras afflictas fortasse miserabantur. Nec mirum, si Ciues nostri incessebant

bant ita, criminabanturque longinquos, & alienos, cùm eodem genere ſuſpicionum inter ſe etiam ſaeuirent, mutuòque infamarentur. Atque ad Diuinae Prouidentiae arcana referri hoc etiam potuit, ceu morbus quidam, & poena animis, calamitati illi, exitioque corporum haud diſpar: reſque, in tantum, ſiue calamitatis, & miſeriae, ſiue vanitatis, & inſaniae proceſſit, vt eodem tempore, & vnctores in Vrbe quotidie, ſicuti poſtea demonſtrabo, punirentur: & intra Lazaretum, hoc eſt in publico pene ſepulchro, ſuſpiciones, & indicia ſceleris manarent, euaneſcerentque ſimul. Ac mirum ſanè dictù: reperti ibi quidam ſunt inſtructi arculis, & ampullis, & omni apparatu flagitij: confeſſique iſti flagitium, & tormentis omnibus excruciati perſeuerauere confitentes, donec in patibulum agerentur. Ibi demum, iuxta laqueum, inter carnificis manus, de ſua innocentia ad populum ita dixêre. Mori ſe libenter ob ſcelera alia, quae admiſiſſent: caeterùm, vngendi artem ſe factitauiſſe numquam: nulla ſibi veneficia aut incantamenta nota fuiſſe. Ea, ſiue inſania mortalium, ſiue peruerſitas, & liuor, aſtuſque Daemonis erat. Sic indicia rerum, & iudicum animi, magis, magiſque confundebantur.

Prima

Prima, & certiſſima lethalium, vnguentorum, & humanae fraudis in creanda vel alenda peſte ſuſpicio ſedit animis, poſteaqnam frontes, parieteſque aedium, per totam Vrbis longitudinem, dextra, laeuaque, grandioribus per interualla maculis contaminati apparuere. Id accidit ad x Cal. Maij ſummo mane, puro, ac ſereno coelo, vt cuncta, ſicuti erant, clariſſime oculis notari poſſent. Notauere prima luce labes eas ad ſua quique negotia vagi matutini nonnulli: deinde hi alios, & alij caeteros ad inſpiciendum excitauere: & mox properè vniuerſi ad ſpectaculum effundebantur. Funeſta res, facta paulatim erat quaſi populi ludicrum: & nos quoque imus viſere. Maculae erant, ſparſim, inaequaliterque manantes, veluti, ſi quis hauſtam ſpongia ſaniem adſperſiſſet, impreſſiſſetue parieti: & ianuae paſſim, oſtiaque aedium eadem adſpergine contaminata cernebantur. Inhorruerant animi: ſtatimque ſuo more obliuiſcebantur: & rurſus imago eadem, tantò praeſentior erat, quantò magis creſcebat morbus, & quò maior quotidie ſtrages corporum fiebat. Quotidie referebatur, vncta pervncta reperta eſſe nonnulla, protinuſque lethiferam tabem concepiſſe, qui adhaeſiſſent.

Qua ſemel recepta fama, homines deinde

etiam

etiam vngi ipſos, adeò percrebuit, vt in tanta morientium multitudine, pauci eſſent, qui non traxiſſe ita venenum crederentur: ſiue vncti videlicet ipſi: ſiue polluti, atque infecti contactu aliorum, quos polluiſſet id virus: ſiue demum, quia polluta infecta attigiſſent, ligna, parietes, & quaecumq; alia quotidiano mortalium vſu teruntur, atque contrectantur. Paulatim inde, à ferramentis, & lignis corporibuſq; ipſis, eò tranſgreſſa fama eſt, vt itinera etiam viaſque Vrbis, & auras, aeremque circumfuſum, ceu manibus ijſdem venenata cuncta timeremus. Et quia aderat iam id anni tempus, vt frumenta in areis, & agris, ſicuti fit, in cumulos metaſue congeſta agricolae haberent, haec pariter alimenta vitae venenari perſuaſerat timor. Adijciebat fama eadem, carmina, & deuotiones, & in parte operis Orcum, atque coniuratos cum hominum ſcelere Daemonas ad Prouinciam & Vrbem ita peruaſtandam.

DE

DE QVODAM TETERRIMO ET FALSO RVMORE VVLGATO PER VRBEM ATQVE APVD EXTEROS

PLERAQVE eorum, quae retuli quaeue referam, in maius aucta videri posse nonnullis, haud nescius sum. Illud verò etiam fabulosum ego fuisse arbitror, quod, inter haec, siue ludibria mentium humanarum, siue calamitatum exempla, vulgatum, creditumque est. Creberrima, namque fama in vrbe fuit apud prudentum etiam plerosque non sicuti debuerat irrisa; Conductas Mediolani Daemonem habuisse liberas aedes, in quibus, sedem, & Aulam, & omne ministerij sui domicilium, ad regenda, & exercenda, atque dispensanda vnguenta collocauisset. Audebant plerique dicere regionem Vrbis, in qua aedes illae sitae: aediumque dominum adeò nominabant: & nominabatur denique, monstrabatur, agnoscebaturque vnus, qui ita referebat. In area, quae templo maximo obiecta est, se fortè constitisse die quodam: vidisse aduenientem seiuge curru, albentibus equis, numeroso comitatu specieque principali virum quendam, sed fusca eundem torridaque fronte flammantem oculis, vibrato crine, & labro superiore minacem, quale

Descriptio uir

quale os faciemque humanam nunquam antea vidisse meminisset. In peregrinum id caput, dum obuerso penitus ore staret, inhibuisse fraenos, & sustinuisse currum, eum, qui regebat equos, & dictum esse sibi: conscenderet, seque daret vnà transuehendum. Quod cum protinus ipse vrbanitatis etiam causa fecisset, aliquandiu esse circumductum, donec ad ianuam aedium quarumdam descensione facta, vnà cum socijs ingrederetur.

Aedes sibi visas esse simillimas ei, à quo sublatus in currum, eòque perductus fuisset, & cuius heriles nutus in ea domo ab omnibus attendi, obseruarique animaduertisset. Summa descriptionis aedium illarum erat ad eam penè formam, qua forma, & facie, Vates Homerus antra Circes imaginatus, carmine suo descripsit. Socios maiestati horrores: amoenum simul, ac terribile quiddam: alibi fulgores, & lucem: alibi tenebras imaginemque noctis: hic dispositas per subsellia Laruas, & imitamenta Senatus: illic vasta deserta, conclauia, nemora, & hortos, & ab obscurae petrae supercilio, magno strepitu cadentes passim in subiectum craterem aquas noster etiam iste referebat, adnectebatque alia portentosa admiranda: si seriò acciperes, ridicula, & vana.

vana. Finis in eo: theſauros ingentes, atque plenas denariorum arcas illa in domo ſibi eſſe oſtentatas, latamque conditionem: ſi in Principis verba iurare vellet, ac miniſter adeſſe rei, quae foret agenda, participem ipſum fore tantarum opum, & habiturum inſuper alia omnia, quae optare poſſet. Si annueret, acciperetque conditionem? daret ſigna conſentientis: attolleret digitum, circumageretue corpus, flecteretue poplitem.

Quod cum ipſe recuſauiſſet, repente inde adſportatum conſtitiſſe loco eodem, vnde abductus paulò antea fuiſſet. Author fabulae, quam multi velut depromptum ex vetere hiſtoria caſum accepêre, ita referebat. Credidere noſtri: credidere exteri: Germanique bibliopolae quaeſtum ex ea vanitate ſibi inſtituerunt, compoſitum rei ſimulacrum publicae curioſitati latè venditantes. Vidimus ipſi chartae ſegmenta Germanico inuento praeferentia ſublimem curru Daemonem, adiectis litteris, quae patrio Gentis eius ſermone narrarent quemadmodum ea ſpecies Mediolanenſibus illuſiſſet. Sed & vidi ego Electoris, Archiepiſcopique Maguntini litteras, quas ad Cardinalem Archiepiſcopumque noſtrum ille miſerat petens, vt, quoniam de Mediola-

nenſis

nensis populi casibus tam multa incredibilia, atque admiranda vulgarentur, particeps ipse veritatis fieret. Rescriptumque est: nullos tartareos currus, nulla spectra Mediolani visa esse. Et apud exteros quidem, atq; alienos, falsa, siue vera haec minore cura accipiebantur, quoniam, & longinqua ipsis, atq; aliena erant. Nobis assidue crescens ante oculos, & intra viscera malum, tantò magis credibilia cuncta faciebat, quantò magis atrocia & inopina essent.

Postquam igitur, super fraudes, & flagitia mortalium, etiam Daemonas adesse operi, pestilentiaeque faciendae officinam in Vrbe positam esse persuasit animis promptus in quamlibet insanam opinionem timor: negligentia incessit ea, quae desperationis esse comes solet. Ab exquirendis remedijs, & purganda Ciuitate auersi Principes ad tanti mali contemplationem, subtiliter tractando sermonibus arcana imperitantium, inter se exequebantur, quisnam ille Principum, Regumue externorum, in consilia sua excire Inferos, & socias conatibus assumere Diras potuisset. Ea coeca quaestio erat: neque arbitror ipsos potuisse caput reperire flagitij, quod nullum fortasse fuit. Cum aceruis, &

tabe

tabe cadauerum omnia complerentur, corporaque exanima iacentia passim, afficerent traherentque viuos, & mixti mortui viuis, hanc Vrbem, sepulcrum vnum, bustumue fecissent: maior tamen interim erat publica deformitas ob infensos inter se animos, exasperatasque inuicem mentes, & monstra suspicionum, tamquam acceptis à Daemone pecunijs, corrupti, & empti nonnulli, negotium id inferendae tabis, ac proseminandae pestilentiae sustinerent. Intimi etiam & proximi quique vitabantur. Non ab vicino solum, & amico, & hospite metus, periculumque erat: sed humanae caritatis nomina, & vincula illa maritus, & vxor, & parens, & filius, & fratres timebantur: foedumque, & horribile dictu, lectulus, & mensa genialis, & quicquid aliud gentium & naturae iure sanctum habetur, terrori erat, tamquam tegeretur ibi, propinareturue pestis. Nec minus trepidi pedeq; suspenso per vias ibant, quibus pestifera haec vnguenta timebantur.

DE PLATEA ET MORA ET BARVELO VNCTORIBVSQVE ALIIS

NIHIL absurdi facturum esse me arbitror si vnguentorum etiam, veneficiorumque reos

reos induxero in tragicam ſcenam hanc, vt, quemadmodum, in vinculis, iudicijſque & tormentis ſpectacula tetra ſimul, & curioſa praebuere: ita ſpectaculo hodie legentibus ſint ipſi, reſponſaque eorum, & quicquid illud, ſeu patrarant, ſeu patraſſe conuincebantur. Ductus eſt in vincula primus omnium Vnctor Platea quidam. Hunc, mulieres interrogatae dixerant è feneſtris aedium ſuarum viſum eſſe ſibi illinentem vnguenta parietibus: habitumque viri, & veſtem, congruentibus inter ſe reſponſis ita notauerant, vti deprehenderetur, atq; agnoſceretur. Erat ex eo miniſtrorum genere iſte, qui ad circumeundas quotidie domos, nominaq; aegrotantium in album referenda adhibiti fuerunt: curamque hanc, acceperat in regionem Vrbis, quae Ticinenſis Porta appellatur. Ab vico, ſeu, Vedra Cittadinorum (id nomen particulae regionis eius) orſus, viciniam illam vniuerſam, angulos, angiportus, directaſq; vias, templa, & nobilium aedes vnxiſſe arguebatur, & mandato Senatus à Praefecto rerum capitalium die Sabbato ad x Cal. Quinctil. ducitur in carcerem, corpore procerus, turpi macie, barba ſubrufa, crine ſubflauo, foemoralibus, tibialibuſque laceratis, pro thorace ſubuculam atro panno ſimilem

...iri Descriptio

gerens:

gerens : & faciem haud minus, quàm caput, demissis alis pileus ipse contegebat. Comprehenderant, duxerantq; hoc habitu nebulonem.

Post consueta illa Iudicum, formulasque fori solennes, interrogatus, ecquid dici audiuisset, parietes ad Portam Ticinensem repertos fuisse quodam vnguine delibutos, negauit se de ea re omnino audiuisse, ac scire quicquam. Id arguendi, conuincendique principium. Nàm, cùm, & res esset nota iam, atque diuulgata per Vrbem, & in ea praesertim ipse regione curaret, circumiretque domos, haud verisimile fieri, quod nihil ipse audiret, ac sciret, atque vnus omnium in tam manifesto negotio, in tanto communi discrimine peregrinaretur. Variae hinc interrogationum responsionumque ambages, & veluti conflictus malitiae tergiuersantis cum prudentia & arte Iudicum.

Imponitur deinde in equuleum, & fune suspensus omnibus carnificinae ingenijs torquetur vltra solitum etiam, ob contraria, & pugnantia multa, per quae, flagitium, dum vult negare, significabat. Ibi quoque in tormentis abnuere, atque inficiari perseuerabat, responsis semper implicans tortuosis, & cogentibus maiora suspicari: vnde, & equulei

vices

vices repetitae ſaepius.

Quarto tormentorum die, cùm in eadem ludificatione perſtaret, poſt vexata diù nequicquam membra, fatigatione magis, quam clementia Iudicum, è ſublimi ad ima demiſſus, vinclis, quibus implexa erant brachia exoluebatur, vt in priſtini carceris cuſtodiam, locumque ſuum ita ſicuti erat fractus exoſſatuſque reportaretur. In eo ipſo temporis articulo, ac momento, praeter omnium expectationem: dedit (inquit) vnguenta mihi tonſor: verbumque hoc ſicuti poſui vltro eſt effatus.

Tunc enimuerò Iudices, auidè arrepta voluntaria ea confeſſione, quae, ſimul, magni ſceleris, ſimul publicae ſalutis aperuiſſe fores videretur, caetera ſtrenuè exſequi, percunctarique pergunt: nec finis, antequam, & de Tonſore, quiſnam ille eſſet, & quo die, quoue loco, quibuſue pactis dediſſet iſte vnguentum, ordine cuncta elicuerunt. Aiebat inprimis: datam ſibi à Tonſore, vna cum vnguento lagenulam aquae, qua epota, confitendi quoq; arbitrium inenarrabiliter vi occulta inhiberetur: potione nimirum ea eſſe effectum, ne poſſet fateri quicquam, donec ſtetiſſet, pependiſſetque ſublimis: poſteaquam laxatus, redditusſque ſolo fuerit, mentem ſimul redditam

eſſe

esse sibi liberam, & sui iuris, quae prius illigata medicaminis imperio, non solùm abhorruisset à confessione culpae, sed rei quoq; notitiam, memoriamue amisisset.

Aiebat omnia haec: subnectebatq; deinde, & ordinem vngendi suum, & quam pecuniae summam, quemue fortunae locum pronuntiauisset, ostendissetque sibi Tonsor, si strenuè, fideliterque nauasset operam: sperata sibi cuncta: sed nummorum adhuc nihil esse datum. Iacobus Mora fuit Tonsori nomen, quem Platea ediderat vngendi sibi participem, & authorem. Habitabat in vico, qui Vedra Cittadinorum, vt antea dixi nuncupatur. Ibi ad viae principium, aedes, tonstrinamque habebat, quà columna infamis hodie cernitur, patrati sceleris, aediumque dirutarum, apposita etiam inscriptione, monumentum.

Audito, & perscripto quicquid Platea iuratus responderat, exposueratque, & semel, iterumque affirmarat, properat illuc cum sua cohorte, ministerioque Iudex, tamquam ad cubilia ipsa flagitij, quod & deprehendi statim, & opprimi posse crediderunt. Nec dubia inde publica iam salus. Ingressi, hominem repcrere ampullis, operi, fornacibusque intentum, ardebatque caminus: & stillabant

aquae

aquae multifariam, referta tota foculis, & cortinis domo: officinamque venenorum esse hanc, mussitantes inter se pronuntiauere quotquot aderant, scribae, satellitesque; & ductor agminis Iudex.

Tonsor principio compositus in securitatem, dicere coeperat: salutares illas, & medicas esse aquas, atque edisserebat, in quemquaeque vsum ea miscerentur, siue eliquarentur. Praecipuèq; monstrabat praesentissimum vnum aduersus contagia medicamen: quod tamen ipsum si absque authoritate publica non componi debuisset, vt sibi ignosceretur petebat. Nam se specie recti fortasse lapsum, vt Vrbis commune malum pro sua virili prohiberet ab amicis saltem, & propinquis, in quos diuidere pharmaca instituisset. Obstrepente suspicionum irarumque tumultu contemptim audiebatur publici exitij reus.

Auersi inde magistratus ad perscrutandum, inspiciendumque. Et momento penè vno, tota collustrata, siue potius euersa domus erat: rursusque à principio orsi, sensim, ac lentè collustrabant, donec exscripta ordine, & exsignata cuncta haberent, vasa, vrceos, ampullas, tripodas, lebetes, & quaecumque alia sub infelici illo tecto ad capiendum coquendumue

dumue aliquid, inſtrumenta habebantur. Praecipuè commouerat, accenderatque animos, innoxia fortaſſe quidem, & caſu oblata res, caeterùm foeda in faciem, & ſpurca, valdeque congruente adſpectu ad id, de quo anquirebatur.

Ahena ſiuè cortinae duae repertae ſunt plenae lixiuij marcidi atque inueterati, ſordibus admixtis in imo ſubſidentibus, quae, tenacitate viſcum, colore cineres, odore, reliquias cibi referrent, quales eae nimirum ab humano corpore excernuntur. Inſpectaque, & contrectata huiuſmodi mixtura per medicos, aſſuetudine, & vſu, nihil tale faſtidientes, haud fere addubitatum, quin ad venena componenda materies illa adſeruaretur. Rapitur deinde in latumias Tonſor, ipſe familiaque eius, & omne tonſtrinae miniſterium, pueri omnes, alumnique artis, vxor, liberique, & ſi qui conſanguinei erant.

Pater familias, & miſer, & imprudens, ſibi, ſuiſque, infamiam, & excidium infauſto illo capite portans, quamdiu par ipſe tormentis erat, ſolito reorum more negabat ſcelus. Vbi tormenta praeualebant, poſcebat laxamenti aliquid, ac pro eo ſpem veritatis aperiendae faciebat, loquebaturque nonnihil, quod veri

ſpeciem

ſpeciem praeferret: atque ſtatim id reuocabat, vim doloris incuſans, quae ſibi verbum inuito extorſiſſet. Ideo torquebatur etiam acrius: & rurſus, vt tormenta placaret, reſpondebat grata Iudicibus, & mox in contrarium eadem illa vertebat.

Producitur Platea index, & particeps idem, & miniſter, atque inter ſe ipſi componuntur, & committuntur aduerſa fronte inuicem, diuerſitate notabili inter vtrumq; reum, & pugna. Compellauerat productus Platea familiariter ſimul, & amarè Tonſorem hunc Moram. Mora negauit quicquam ſibi cum iſto eſſe familiaritatis, & notitiae: ſtatimque ad conuitia progrediebantur. Exprobrare Platea Tonſori ſuſceptum immane ſcelus, & ſpes inſanas, & hunc denique finem. Contra, vociferari Tonſor, & inuocare vindicem Deum aduerſus fraudem, inuentumq; malignum, aduerſus, inſidias, quae parari cuilibet innoxio poſſent. Mox redditum ad tormenta: perſeuerabatque Tonſor in priſtina illa confitendi, & negandi viciſſitudine, donec, velut alienato ab ſenſibus animo, confeſſionis ſimul, & exitij ſui gloriam, veluti amplexus, fanda, tacenda effudit. Ordinem, & initia, ſeriemque negotij, & ſocios, & vngendi artem, & conſilia

delendae

delendae Vrbis, & quot, in quosque vasa diuisisset, quaeue iam contaminatae partes, & vnctae essent, exposuit omnia cum fide.

Sed dum ferueret ita iudicium, & quaestio exerceretur, manauere etiam aliunde inditia, vnctoresque noui reperti sunt, ex ganea, & popina homines, sed & ex officina scholaque eadem, nomina deuota furcis, & igni, Meliauaca, & Baruelus, & Berton. Ac misso confestim lictore hi pariter in compedibus iudicioque stetere: nec magna mole subacti, rem, scelusque confitentur, prout in contubernium illud infame venissent egissentue aliquid. Ac lapsa vni fortè vox est, ob quam iudicia ipsa intremiscere coeperunt, ac trepidare magni secreti horrore, veluti cùm sua mala ne proloqui quidem homines possunt. Namque vnctor, & verbero Baruelus, cùm caetera exponeret, dixit hoc etiam: vnum grande Caput fuisse, sub cuius vmbra, & tutela laterent omnes artis eiusdem, neque mali, siue periculi quicquam timerent.

Id statim velut maioris mali inditium accipitur: & vrgendo, atque sciscitando, quodnam id grande caput, quisnam ille tam fortis praeualidusue auctor, eò peruenere, vt elicerent, Ioannem Caietanum Padillam esse, qui, &

pecuniae

pecuniae ſummas dediſſet, & mutationem rerum, atque honorum inde titulos promiſiſſet, ſi ſublata forma Ciuitatis & Imperij, dominus ipſe rerum omnium foret. Detulere illicò Magiſtratus totum hoc ad Prouinciae Gubernatorem, antequam vlterius, altiuſque ſcrutarentur: atque interim, ſumma ope, ſilentioque alto premebatur res. Ab colloquio dein, mandatoque Principis repetita queſtio: & orſi à principio nebulones, nunc leniter, amabiliterque interrogati, nunc excruciati omnibus patientiae humanae exemplis ita exponebant. Crebra ſibi colloquia primò fuiſſe cum Padilla, de quo memoraui. Multa dicta, pactaque inuicem, & nuntios aliquoties vltro, citroque commeaſſe: denique conuentum in planitiem Iouis Arci ſubiectam obſcuro noctis: atque ibi parte in ea, quà regimen & diſciplina equorum exercetur, electam incantamento ſedem, vt ea, quae pacta conuenta inter ſe haberent, firmarentur etiam tartareo quodam Inferno ritu: excitos ibi Daemonas in veneficij partem: fidemque vngendi, cum eis ritè ſancitam. In eo incantamento comparuiſſe togatum Pantaleonem vnum cum galericulo, & brachis, ipſumque Padillam, inuoluentem palliolo roſtrum: & presbyterum

vnum

vnum, qui tenens manu virgam, lineas, circulosque describeret. Haec, & alia, quae dixerant, ad vanum, irritumque reciderunt. Comprehensusque Padilla, personas, & loca, & tempora confutauit ipsa locorum & temporum fide, cùm se tunc abfuisse procul, neq; homines vmquam cognouisse, aut vidisse illos, probasset, atque conuicisset. Vnctores puniti tamen: inhorrueratque Ciuitas foeditate suppliciorum, nisi atrocitate flagitij leuiora omnia viderentur.

DE ALIIS QVI FALSO HABITI SIVE COMPREHENSI PRO VNCTORIBVS FVERE.

SED & innoxij multi, quos, aut tristior vultus, aut obsoleta vestis, aut mora alicubi nonnulla suspectos fecerat, circumuenti sunt populi clamoribus, impetuque tanto, & verberum, ac lapidum tanta repentè procella, vt carcerem, & vincula, quo ducebantur, ceu requiem, portumue tutissimum spectarent. Rura pagique, & agrestes, inter damna saeuum maxime genus, irritati cladibus etiam ipsi suis, & sterilitate frugum, si quis fortè viator lentus iret militari via, vel itinere

decessisset

decessisset, vel fessa humi membra strauisset, facto repente agmine circumsistebant, inijciebantque vincula, vinctosque trahebant in Vrbem, & armatae illae cateruae ferramentis suis quotidie cernebantur captiuos eiusmodi adducentes.

In Vrbe senex fuit octogenario maior, quem ego vidi curua proceritate, non vultu, non pallio, caeteroque vestitu vltimum plebis, & nobilem esse plebeium compertum est, posteaquam casus incidit ille, quem memorabo. Intrauerat senex D. Antonij Aedem, quà sodales, Clericiue Theatini, vitae, ac litteraturae sanctioris Vrbi specimen praebent: & Abbatis antiqui dura instituta is Ordo refert. Ibi fundendo quotidianas quasdas suas ad Deum flexo poplite preces valdè fatigatus, cum residere paulisper voluisset, tergeretque prius palliolo locum, exclamant statim vna voce mulieres: vngere subsellia senem. Idipsum alius, ac deinde alius, & mox plura simul ora vociferantur.

Dies erat, haud equidem memini, qua religione sacer, sed frequentia tanta populi, quanta maxima per illud tristissimum pestilentiae tempus, perque solitudinem eam esse posset: statim vbi senem vnctorem clamor ille

populo

populo monſtrauit : accurrunt vniuerſi, concioque tota in eum iuit. Corripitur miſer ab ijs, qui proximi ſteterant : vellunt crinem : tundunt os & latera pugnis : calcibus alij pulſant : crura diuellunt : emortuum illum iam penè ventrem, & capulare caput, quominus ferro lacerarent, vna res tenuit, quia ducere in vincula reum, reſeruare quaeſtioni, ſiſtere Iudicibus volebant. Vidi ego cùm ita duceretur, neque de exitu fineque eius vltra comperi. Mortuum ſtatim eſſe arbitror. Probumque & honeſtum fuiſſe hominem retulere illi, qui miſerati caſum, indignitatemque tantam, cognoſcere cuncta de conditione eius, ac ſtatu, facta percunctatione voluerunt.

Poſtridiè quàm, in celeberrima Antoniana Aede acciderat, ſpectaueramuſque hoc, ſpectauimus conſimilem alium caſum, ſed nequaquam luctu, & miſeratione pari, quia Gallorum erant corpora, quae furor, & inſania plebis laniabat. Facto grege iuuenes venerant videndae Italiae, cognoſcendae antiquitatis : & ſicuti poſtea compertum eſt, venerant artibus inſtructi nonnullis ad vitam procul ab domo ſuſtentandam, litterator, pictor, & machinarum quarumdam artifex, haud leuia ſecum ferentes in Vrbem ſubſidia peregrini,

grini, si temporibus alijs venissent.

Mouerunt hi quoque populo suspicionem, dum Templi marmora contemplantur, nec oculos satiasse contenti, gestiunt paulisper eadem contrectare manu, eaque dulcedo magno iuuenibus stetit. Sunt hi quoq; conspecti ab vno primùm, deinde ab altero: mox vnus, & alter innuêre duobus alijs: hi deinde pluribus: & momento penè vno, ora, oculique multorum tacitè speculabantur innoxium id nefas. Circumfunditur paulatim turba simpliciter incautis, perguntque illi, vt quidque proximum, atque pulcherrimum hauserant oculis, etiam altero hoc delibare sensu, & manum subinde admouebant.

Enimuerò id satis fuit ad flagitij fidem, nec vltra sustineri impetus potuit: desaeuijtque tantò magis ira in eos, quia brachae, comaeq; & genae, & suspensae sarcinulae collo tergoque patriam arguebant, fatebanturque ipsi Gallicum quiddam inter verbera eiulantes. Saeuitiae, verberumque finis carceres fuere. Ibi interrogati à Magistratibus, pronuntiatiq; insontes, & dimissi sunt. Hisce duobus exemplis notasse volui populi suspicionum in tali tempore, leuitatem, atque saeuitiam: retulique potissimum ista, non quia saeuissima

fuerint

fuerint eorum, quae quotidie fiebant, sed quia casus vtriusq; spectator ipse fui: sumque illacrymatus, haud magis profectò innocentibus illis, quàm plebi nostrae ob mala sic tantopere insanienti.

Et miseranda quidem haec, planèq; digna lacrymis erant apud omnes, qui sensu quodam humanitatis talia intuerentur. Nonnulla verò interim etiam faceta, & penè ridicula euenerunt. Quae, sicut in media calamitate, tantoque communi luctu potuerunt triste ludicrum esse animis, vt, qui viderant, audierantque talia, ridere cogerentur vultu inuito: ita, post calamitatem ipsam, in hoc continuae moestitiae campo, velut interualla quaedam, & spiramenta doloris apud legentium animos praebebunt.

Dum pestilentia simul, & atrocia suspicionum, ita, quemadmodum demonstraui in Vrbe saeuirent, dumque periclitaremur omnes, aut imagine periclitantium attoniti moestiq; iaceremus, voluerat Cardinalis Archiepiscopusque noster eximere discrimini, casibusque Clericos, familiaresq; duos, quorum fideli in primis opera vtebatur, nec facile pares industria vel fide, alios reperiret, si acerbitate temporum etiam isti intercepti fuissent. Statuit

Statuit vtrumque mittere in Senecianum ſuum, quà ſeptimo ab Vrbe lapide villam, atque arcem, & modeſta amoenitate hortos ſubſidia & receptacula Muſis nuper fortè coemptos habebat. Eò Clericos mittit, fecitq; elegantia, & humanitate ingenij ſui Princeps, vt, dum ipſe inter funera morteſque quotidianas, & afflictamenta caetera temporis illius parcè, ac duriter cum reliqua familia viueret, mandaret lautè omnia, & copiosè parari Clericis iſtis, qui ad villam interim litteraria quaedam negotia tractaturi erant. Non attigerat peſtilentia locum eum, neq; verò poſtea attigit. Eò acrior cuſtodia, & cura paganorum illorum excubabat, accenſis etiam gloria, atque aemulatione animis, ſi in communi velut incendio intacti ipſi ad finem vſque permanerent. Munito clauſtris atque cancellis pago neminem admittebant. Sed domus extra pagum impoſita eſt leniter edito colli, qui & pago imminet: Clericique, die, & comitatu deſtinatis, vitata pagi eius porta, quà duxit via in collem, capto ambitu peruenerant in arcem, &, aut non ſenſere cuſtodiae, aut ſentire ſe diſſimulauerunt.

Primo die non extulere Clerici ex arce pedem, ſtuporq;, ac ſilentium, & metus manebat

animis, quem ex Vrbe attulissent. Postero, & sequutis aliquot diebus, par intra herilia illa tecta silentium, & solitudo. Dein egredi conclauia ausi, in atrium, atque inde in hortos intulere pedem: contemplantur arbusta, poma, flores: & blandiente dulcedine longius prouecti, hortorum etiam septa transcendunt, atq; in vicinum alium collem paulatim erexere gradum. Ibi, quà arbores, & vmbrae inuitarunt, strauere corpora humi, & quoniam tulerant Breuiaria secum, ne periret id tempus, coeperunt psallere alternis quicquid illud ex eius diei Officio reliquum Ecclesiae legibus debebant, partem oneris amoenitati, & quieti ita deleganteis.

Placuerat horae pretium: & recitatis iucundè precibus, etiam pugillaria depromunt: commentabanturq; suo more nonnihil, haud parum laeti, si pensum vtrumque diei eius absque taedio, socia etiam voluptate exegissent. Interea, capitis, & vitae discrimen pijs litteratis hominibus aderat vnde minime quis existimare posset. Pascebant in eo colle armenta pecuarij pueri quatuor numero, pares aetate, pilaeque etiam interea luxu se se oblectabant. Horum fortè vnus, cùm vidisset in vmbra iacentes homines nigros intentos

operi

operi, quod voce ab illis manuque peragi videretur, monſtrat gregalibus ſuis, atque omnes ad ignota peregrina ora contemplanda ſubſiſtunt.

Illico ſtatuerunt: vnos eſſe de illis, qui ex vrbana illa Daemonis domo (nam vulgata fabula erat) ad perungenda, atque execranda arua dimitterentur. Collatis inde capitibus, inter ſe conſultando exſequebantur, quidnam agendum ſibi eſſet. Haud puerilibus animis decreuerunt: irent duo ad commonefaciendos loci homines, conclamandumq; ad arma: duo ad cuſtodienda, & obſeruanda veſtigia permanerent, ſi fortè vidiſſent aufugere laruas, veneficoſque illos. Laruae interim, veneficique illi, quiduis aliud quàm imminentia cogitantes, ſecuris animis, curas, & negotia Muſarum ſub arbore tractabant. Mox ſublatis fortè oculis vident ſyluam inhorreſcere ſclopis, & haſtis, agreſtiumque globo.

Totus namq; in armis aderat ſubiecti pagi populus: & dato per vicina rura ſigno, plures vndique affluebant, in Daemonas, in furias, furiarumue miniſtros: & hoc illud eſſe tempus diuinae, humanaeque vltionis in monſtra Inferna clamitabant. Iam cinxerant indagine Clericos, iam in terga haerebant, & contorquendi

quendi haſtas, ſcloposque diſplodendi vnica illa mora erat, quòd eorum nutum, qui propius acceſſerunt, expectabant illi, qui ordine ſubſequebantur. Et qui proximi ſteterant, voluerant prius ora, vultuſque nigrorum hominum contueri pauliſper, atque etiam interrogare, qui, aut vnde, quidue quaerentes eò veniſſent. Aſſurrexerant etiam interea Clerici, & quidnam illa ſibi vellet armata multitudo taciti mirabantur. Saluti fuit, ex pago eodem, & ex Cardinalis ipſius ruſtico famulatu, forte quadam diuinitus repentè superueniens vnus homo, qui cuſtos arcis idem, & villicus, & veluti Praefectus domus apud villam habebatur, obtinueratque munerum caeterorum hoc tempore vacationem, dummodo Clericis hiſce ſedulò, & lautè, comiterque miniſtraret.

Is, ad primum tumultum puerili illo nuntio excitus, anhelus inter anhelos, arrepto venabulo cùm accurriſſet, poſteaquam herilia capita vidit eſſe, quae neci deſtinabantur, inhorruit, exarſit ira, gemuitque, & erubuit, & riſit, & tot ſimul motibus animi, magis quàm verbis indicato popularibus errore: Ite mecum, inquit hinc: & abiere. Is ſaeuo ludicro finis fuit in veneficos vnctores Clericos,

eos, qui nulla venefica vnguenta tractabant: sed artes eorum pietas, & simplicitas, litteraeque, & stylus.

DE MAGNO ET INSIGNI VNO VIRO QVEM SVSPICIO EADEM ABSVRDISSIME ATTIGIT

NVNC casum alium memorabo, qui in his Patriae funeribus, & tragica scena trissimarum Mediolani rerum ridere homines coegit. Tantòque magis ridicula res fuit, quia non de humilibus, obscurisque Clericis, sed de clarissimo, & magno capite agebatur: nomenque tamen huius etiam subtrahi, atque reticeri pertinet ad Viri simul, historiaeque decorum. Quales raro aliquos multa saecula, multaeque Vrbes tulerunt, talis iste erat quaeue singula, gloriam atque admirationem habent, omnia simul in eo coniuncta spectabantur.

Litterae, tum hae interiores, quae proprium ex humano cultu nomen habent, quibusue ingenia nutriuntur simul, & excoluntur: tum coelestes, & diuinae illae, per quas animus humanus attolitur illuc, vbi exquirere mysteria, naturamque Diuinitatis ausit. Philosophus, Theologus, Orator, Poeta, fulmi-

nanti,

nanti, tonantique ſimilis dictus, permiſcere, vertere, ac turbare animos, cùm olim ad populum ipſe concionaretur. Quòdq; in ſacra hac toga raró feliciter contingit, diuturna pertractatione, & vſu negotiorum, rerumque maximarum eò peruenerat, vt par ei politicus non facilè reperiretur.

Nouerat arcana, mentem, opeſque Regum, & quicquid, vel meditari, vel efficere eorum vnuſquiſque poſſet. Intimèque familiaris, & miniſter, & legatus vni, qui noſtra aetate calidiſſimus imperitantium habitus eſt, aulicorum more, ſorteque infelici, periculoſiſſime colluctatus Hero, ſuperior denique fuerat, euaſeratque in tutum. Erat claritudo generis ei, dignitas oris, quae hanc ipſam fatetetur. Praeterea, come ingenium, gratia, lepos, & his penè contraria laudibus pietas, & religio. Oraculum verè Ciuitatis habebatur, conſilijq; cauſa plurimi ad eum quotidie ibant. Fortè iſte paucis diebus, anteaquam eſſe Mediolani peſtilentia inciperet, peregrinari Romam vſque voluerat, deſiderio, ſicuti ferebatur, reuiſendae Vrbis, & compactas illas Martyrum ſanguine glebas, atque Sanctorum veſtigijs nobilitata loca, ab inſita animo religione exoſculandi: ſed, ſicuti fuit animus huic viro miſ-

tus ex pio ſenſu ſimul, & curioſitate ciuili, iuiſſe negotij alicuius cauſa aiebant, quibus curae fuit interpretari profectionis eius cauſas.

Et ſicuti ſemper eſt audax ad fingenda quamuis atrocia rumor, & inſania ciuilium ingeniorum, dixere, iuiſſe ad colloquendum de periculis, & magnitudine belli cuiuſdam in occulto gliſcentis, vt regna quaedam, Prouinciaeque tranferrentur. Simplicior interpretatio: motum Pontificem ea fama, quae de litteris, ingenioque Viri huius vulgata eſſet, cupiuiſſe colloqui cum eo, atque feciſſe, vt ipſe Romam hoc tempore iret. Quantos in vetere Romana Regia motus animorum, aduenientem illuc ex Hetruria Lucumonem feciſſe perhibent Imperij illius annales: tanta fere gratia, fauorque noſtrum hunc ibi excepit, prona ſtatim in eum tota Pontificis Domo, proniſq; ſuo more aulicorum caeterorum animis illuc, quò ſtudia, voluntateſque Dominorum inclinare videbantur.

Patriaque haec, haud profectò vmquam egens minimarum, alienarumue laudum, gloriabatur aliquandiu ſui Ciuis decore hoc, & gloria: & libenter ſanè audiebamus, quotieſcumque diceretur: aut miſiſſe munuſcula hoſpiti Principem Sacrorum: aut eum in Vaticano,

ticano,

ticano iussisse prandere: aut circa colles amoenos, & rura nata Musis vnà iuisse aestiuatum: aut denique Cardinalium aliquem, & plures vno die Cardinales ad eum vltro venisse, salutandi, & colloquendi causa. Adeò scilicet in Vrbe, quae sua tantum admiratur, placuerant viri huius, vel ingenij dotes, vel artes animi, & quicquid illud, magnae fortunae mole fatigatis, ex consuetudine minorum, solatio, ac leuamento esse potest. Laetiores quin etiam saepe nuntij vulgabantur: haud mirum fore, si fieret etiam iste Principum vnus illic in Vrbe, quae mutare ita repente fortunam hominum potest, atque consueuit. Illud verò longè laetissimum, quòd spernere excelso animo talia noster ferebatur: & constans fama erat: repudiasse solita illa, per quae struitur illic ad summa gradus.

Mediolani, in tantis miserijs, in tanta publica, praesentique clade, dum finem, interitumque suum, aut timeret Ciuitas, aut ad finienda mala optaret, praebebat ita sermones, ex longinquo peregrinabundus vnus Ciuis, nunquam scilicet adeò consternatis, afflictisq; animis hominum nostrorum, vt non & pabula ista rumusculorum admittant: numquam verò etiam adeò prohibito commercio

gentium

gentium aliarum in Ciuitate, vt non maneret ibi velut forum, theatrumque famae, quò scilicet vndique peruenirent, & rursus vnde resonarent latè apud gentes alias fabulae, sermones, rumoresq; quotidiani. Mox, tristissima fabula, & rumor insanus, atque atrox famae ludibrium de viro, Ciueque eodem oritur: compertum haberi scilicet, remq; teneri manifestis inditijs, quòd ille Caput Vngentium esset.

Hic namque noui criminis, titulus, & formula reperta erat, haud minus iam hoc tempore familiaris, atque peruulgata, quàm criminum aliorum, quae puniuntur quotidie, & admittuntur. Fuit deinde septem, siue octo dierum spatium, & rursus affertur: in latumias, in carcerem inferiorem eum esse coniectum, custodiri militari praesidio: Pontificemq; ipsum, quod ad custodiam eius attineret, nulli, nec homini, nec loco satis credentem, iubere quotidie ad se referri carceris claues: obsignari claustra, stationesque, tum duplicari, tum mutari: sperari rerum incredibilium certa indicia: atque ea omnia, adeò nihil variante fama nuntiabantur, vt intimi, & coniunctissimi quique, quos propinquus sanguis, aut amicitiae fides absentis

nomini,

ac dignitati patronos dabat, ne hiſcere quidem, aut obrectantibus reſpondere auderent.

Et erant primi ferè nobilium, aut certè proximi primis annexique magnis domibus, qui negotio diuulgato hoc angebantur, & quamuis tenui, ac longinqua conſanguinitate erubeſcebant: coeperantque inficiari, & eiurare communes olim auos, & vincula alia, quibus antea gloriabantur, addentes etiam vltro veritati nonnihil, & exoletae vetuſtatis neceſſitudines, repetendo, ob gloriam, & decora Viri eius. Nec ideo vitauere, quominus, in circulis, atq; ſermonibus inceſſerentur cauillis, & probris, qualia iaci ſolent in eos, quibus eſt calamitas aliqua, dedecuſue domi: & gladios ſtrinxere laceſſiti, colaphiſq; etiam res acta dicebatur. Sed interea crebreſcebat, adduci, & iam, iamque adeſſe captiuum: adduci multo ſatellite cinctum: ſed & equitum alam cuſtodiae eius appoſuiſſe Pontificem, ne elabi, neue eripi reus poſſet: adduci non quaeſtionis, Iudicijue cauſa, quippe manifeſto iam, & certo crimine, ſed ad tormenta ſuppliciumque vltimum: ſcilicet, vt laceratus ipſe viciſſim ſpectaculum praeberet ei Ciuitati, quam veneficio ſuo delere voluiſſet.

Dixere hoc plebis homines, credidere plebeij

beij quoque nobilium : & adeò validus fuit ille rumor , vt ſpatia quoque itinerum , & poſitiones , & momenta venientis nuntiarentur: qua noctis hora , quoue menſis die exemptus arci captiuus, inditus rhedae , eductus extra Vrbem fuiſſet : venire per Aemiliam , ſuperaſſe Apennini iuga : eſſe ad Bononiam : agmen ſubſtitiſſe Mutinae : Parmae expectari : aliaq; de ratione itineris, tamquam Rex Vandalorum ille , qui nuper tumultuari coeperat, in acie captus adduceretur . Diem quoque notabant, quo die ſiſtendus ille Mediolani foret , & diem, genuſque ſupplicij , & compoſita ſic omnia , vt ſi vera eſſent, non magis recipi animis , & credulitate hominum potuerint.

Tunc enimuerò , & conſanguinei , proximique illius , latitare , ſecedereque in auia: & alieni illi nuper in aliena calamitate procaces , verſa in miſericordiam laſciuia , moerere tam honorati Ciuis adeo infelici, triſtiq; caſu , & veluti ſuum, ac patriae dedecus accipiebant labem , quae honeſtiſſimae Domui, ex vnius flagitio , mox poena ſupplicioque pararetur . Nihil interea dedecoris, nihilue flagitij erat . Sed vir , Ciuiſque ille , dum hoc famae ludibrio in ſua patria conflictaretur abſens, florentiſſima apud Pontificem,

Aulamque

Aulamq; vniuersam gratia agebat, deliciumq; illic humani generis habebatur ac redijt postea in patriam, Vrbemque hanc, ornatior, & acceptior hoc ipso, quòd honora, & ampla omnia repudiasse ferebatur. In media clade, medioque incendio, & sicuti verè dici potuit, in ipso funere Vrbis, penè ridicula haec quotidiè accidebant: quae mihi leuiter attigisse visum; quomodo tragoediarum quoque lacrymis, chori, saltationesque nonnullae interponuntur.

Caeterùm his ita expositis, anceps, atque difficilis mihi locus oritur exponendi: praeter innoxios istos vnctores, & capita honesta, quae nihil cogitauere mali, & periculum adiere ingens, putemne, veros etiam fuisse vnctores, monstra naturae, propudia generis humani, vitae communis inimicos, quales etiam isti nimium iniuriosa suspicione destinabantur. Neq; eo tantùm difficilis ancepsue locus est, quia res etiam ipsa dubia adhuc, & incerta, sed quia, ne illud quidem liberum, solutumue mihi relinquitur, quod à scriptore maxime exigitur, vt animi sui sensum, de vnaquaque re depromat, atque explicet.

Nam si dicere ego velim vnctores fuisse nullos: frustra coelestes iras, & consilia diuina

trahi

trahi ad fraudes, artesue hominum, exclamabunt illico multi, historiam esse impiam, meque ipsum impietatis teneri, iudiciorumq; violatorum. Adeò sedit contraria opinio animis: pariterque, & credula suo more plebes, & superba nobilitas, cursu in eam vadunt, amplexi rumoris hanc auram, quomodo quis, aras, & focos, & sacra tueretur. Aduersus hosce capessere pugnam, ingratum mihi nunc inutileque est. Proinde, neque affirmando, neque negando, neque in partem hanc inclinando, neque in illam, sententias tantummodo alienas opinionesue proponam.

QVID SENSERINT PHILOSOPHI MEDICIQVE CLARISSIMI DE PESTIFERIS HISCE VNGVENTIS CASVSQVE VARII NARRANTVR

QVANTA sapientia, quantus animus, quantum etiam fuerit Ludouici Septalij nomen, exposui in priore libro, cùm narrarem eius Viri casum, & vitae discrimen apud stolida capita baiulorum nolentium scilicet credere de peste quicquam, atque clamitantium, hunc esse, per quem sereretur in vulgus, & inualesceret id nomen. Huius Philosophi

losophi

losophi Medicique alumnus idem amicusque magnus fuit Alexander Tadinus, pari animo, pari indole, pari etiam nobilitate generis, ac studiorum: & vno verbo, vel paria, vel certè simillima inter eos omnia fuere, praeter aetatem. Circumsteterat etiam hunc ab eadem insectatione furor idem: atque euaserat pari effugio, & pariter aucta gloria ob id periculum. Viuebatque hodie Philosophus hic penè adhuc in robore aetatis, veluti heres sapientiae, famaeque Septalij, & Medicorum etiam ipse fere princeps. Socius igitur hic, & particeps, & aemulator tanti Viri studiorum, atque post eius mortem futurus alter quodammodo Septalius, cùm viueret ille, affixus lateri senis haerebat: & quantum licebat vtrique per occupationes, ac vitae genus, hoc praesertim pestilentiae tempore, multùm inter se philosophabantur de origine mali, ac de veneficio ipso, quod subesse iam credebat Ciuitas.

Mortuo postea Septalio superstes instituit de toto hoc genere commentari multa, tum suo Marte seorsim, tum ex colloquijs sermonibusque eius: atq; suam de ea re sententiam subtiliter, & copiosè explicauit. Cùmque, & ego accepissem de huiusmodi scriptis aliquid,

&

& audiſſet ille, ſcribere nos quoque, & iam ſub praelo habere de tota peſte narrationem: annuit libenter, vt opinionis, diſputationumq; ſuarum particeps fierem: ac tradidit mihi commentarios, è quibus bona fide referam praecipua eorum, quae Philoſophus Mediculque clariſſimus, de peſte manu facta, & de tartareo hoc negotio diſſerebat: idque cùm fecero, nihilominus in ancipiti, & dubio relicta nobis erit res: prout ſcilicet profecta planè ab Inferis adhuc, & plena tenebrarum torquebat multiplici ambage animos.

Ordiebatur philoſophantium more Tadinus diſputationem de ea re ſuum ab Syderum etiam Coelique argumentis, haud minus nobilis eius ſupremae regionis inſpector, quàm artifex Medicinae, quae dicta vna eſt ſcientiarum illarum trium natarum ſimul atque adultarum. Aiebat ita, ſcripſeratque etiam: praeceſſiſſe vnguenta Cometem, de quo Sydere ſemper opinio fuit, tamquam noua quaedam & magna, & funeſta portendat. Sydus fuiſſe truci vltra ſolitum etiam facie. Menſe Iunio, quo maxime tempore, vnguentorum officina illa caluiſſe credita eſt extitiſſe crinitam eam Stellam: exarſiſſe ad Septentrionem ſpectatores fuiſſe multos: neque dubitaſſe diuturna

Coeli

Coeli affectatione peritissimos atque praesagos imminentium homines, quin eius exortu, ea, quae euenere denuntiarentur. Sed & alium eiusmodi fulgorem emicuisse prius anno CIϽ DC XXVIII in cardine dextro ab coitu Saturni, quo non aliud inter Coeli portenta minacius truculentiusue haberetur.

Haec, & alia ille scilicet altitudine scientiae, quae scandere Coelestes Orbes, habitare illic, rimari arcana, deducereq; ad vitam casusue mortalium sempiterna Lumina & affine generi humano facere Coelum audet: imò & fortasse potest. Nobis, neque animus, neque potentia eadem est: satisque habuero depressus nempè humi, si depressa nobiscum, & communia quaedam narrauero, vnde & ille sumpserat momenta in vtramque partem aliqua circa vnguentorum horum fidem. Non autem argumenti tantùm, sed penè oraculi instar ad credenda haec, & praecauenda, potuerunt esse, & fuerunt litterae D. N. Regis ad Gubernatorem Prouinciae Spinulam, in quibus ita perscriptum fuit.

Quatuor homines deprehensos esse Madriti, qui medicamenta attulissent ad faciendam in Regia pestem, eosque repentè aufugisse. Nesciri quonam abijssent, quoue ferrent eadem

venena:

venena: proinde ſibi ſuiſque caueret Gubernator, ac videret, ne in Prouinciam, & Vrbem, cui praeeſſet ipſe, recideret id ſcelus. Hae litterae, quia Maieſtatis ipſius chirographo ſubſignatae fuerunt, grande ſanè momentum inclinandis ad peſſima quaeque credenda animis facere potuerunt: protinuſque ab illo Gubernatore miſſae ad Tribunal, & inde communicatae cum proceribus, vulgatae per Vrbem, adeò impleuere animos, & ſolicitudinis ad circumſpiciendum, & irarum atque indignationis in omnes, qui ſuſpecti aliquo modo fierent, vt de omnibus etiam ſuſpicari licitum ſibi eſſe arbitrarentur.

Haec igitur Regiae admonitionis authoritas, veluti certiſſimum argumentum vnctionum venenatarum haberi potuit: certius inquam illa denuntiatione Syderis, quae Philoſophum perculerat ipſum, à quo notatum vtrumque accepi. Sequitur deinde ſtatim Regias haſce litteras vnius peregrini hominis caſus, qui, primò quidem, tam formidato, tam incerto ſceleri fidem adſtruxerat terroreſque nouos: deinde verò, ad obſcurũ, ſicuti pleraq; redactus, nihil effecit aliud, quàm vt quodam huius negotij fato ambigua veris miſcerentur, ſemperq; poſteriora prioribus offunderent tenebras, & obſcu-

obſcuriora eſſent: ea ſcilicet conditione, vt ſuccederent alia mox, vnde dubia etiam, atq; incerta illa confirmarentur.

In publico diuerſorio trium Regum, quò fere tranſalpina, ſiue tranſmarina peregrinitas diuertere conſueuit, eſtque Germanis, & Gallis id fere in hac Vrbe domicilium, reperitur die quodam, liberali facie, liberalique etiam habitu, & veſtitu Iuuenis quatuor & viginti annorum Hieronymus Bonus nomine, brachatus, & comatus, & flauo crine, multoq; ſanguine & florida carne diffluens in Gallicum haud dubiè morem: ſic nomen & figura indoleſque ad Magiſtratum relata eſt. Sarcinae quoque deſcriptae: necnon, ſi quid ſuper menſam fortè dixerat: & alia per cauponae miniſtros notata, & relata diligenter.

Iecerat inter caetera Iuuenis ille Gallus: peritum ipſum eſſe medicae artis, multaque pharmaca ferre ſecum, & medicamina nota nullis: arculas praeſertim aduerſus peſtem habere mirabiles, & remedia praeſentiſſima, quae paratus eſſet depromere & approbare Ciuitati ſi ad Lazareta adhiberetur. Vrbem Panormitanam quam penè ſuſtuliſſet peſtilentia, & penè ſepeliſſet, non alia magis, quàm ipſius ope velut eſſe reuocatam è funere,

nere, & quaſi ſtare hodie remedijs ſuis. Aiebat haec: ſimulque diplomata & priuilegia oſtendebat ab Siciliae Prorege conceſſa ſibi ob id meritum: & denique expoſcebat vltro, ad Magiſtratum vti deduceretur, fieretque ſibi in Lazareta aditus.

Archonatus eo tempore Praeſes, re ſicuti exponebatur, audita, haud immemor litterarum, ab Rege, quae ſcriptae veniſſent, eo maxime mouebatur, quòd, &, Gallus iſte eſſet, & medicamenta loqueretur, rem tunc tantopere ſuſpectam atque inuiſam, & vellet vtiq; admitti ad opus, quaſi maleficij locum quaerens. Comprehendi & adduci, ſiſtique hominem iubet: ſimul comportari peras ſarcinulaſue eius, & quaecumq; alia ferret ſecum. Refibulata, & aperta, euolutaque pera, omnia quidem apparuere, quae magni Vnctoris inſtrumenta videri poſſent: ampullae multiplices, & vaſcula plena pulueris, plena liquorum, & vnguentorum, cum ſua quodque inſcriptione, & indice, obturata, & obſignata diligenter: ſed & innoxia eſſe cuncta, & in medicos ac ſalutares vſus comparata ille affirmabat.

Ipſeq; Tadinus, qui Tribunalis eo tempore Conſeruator aperiendo interfuerat, iudicauit

ita

ita & pronunciauit : nec alibi quàm in Lazareto ipſo deponi inſpiciq; iſta tutum exiſtimarant. Interrogatus aduena ad omnia commodè reſpondebat : iudicijſque ſatisfecit, haud tamen inficiatus, quòd Apoſtata & deſertor Ordinis cuiuſdam bona fide eſſet, quòdque ab Geneuae luſtris, ea lupanaria paertaeſus veniret, ac vellet peregrinari pauliſper : hinc ad Pontificis Maximi pedes ire Romam. Dimiſſuſque poſtea eſt, adeò confutatis de ſe ſuſpicionibus, vt innocentia illa ſua peregrinos abſoluiſſe omnes, & liberaſſe infamia videretur.

Caeterùm, vano hoc caſu, & temerè oblato terrore, caſibuſq; & terroribus eiuſmodi alijs, quantopere eleuantur vana ſuſpicionum & opinio veneficij: tantopere firmatur eadem euentis ex diuerſo compluribus, quae Tadinus idem, non ſolùm ob excellentiam Artis, ſed ob eximiam quoq; prudentiam ad iudicia adhibitus notarat, & retulerat inter argumenta, quae confutari non poſſent, imò de quibus ne ambigere quidem vllus poſſet. Conſtitit, flagitij reos in tormentis à Daemone fuiſſe ſtrangulatos. Conſtitit, aedes eaſdem, quae noctis vnius furto vnctae fuiſſent, iterum ac ſaepius fuiſſe repetitas, nouumque virus prioribus maculis occultè ſuperinductum, vt

Daemo-

Daemonem adfuiſſe operi appareret.

Duodecim vno grege errones comprehenſi, & in vincula ducti, dixere, dictaque ſemel affirmauere ſaepius in tormentis ijſdem: fuiſſe quotidie, qui duceret ipſos in popinam: ibiq; benè paſtos, & ſaturos dimitteret ad vngendi ſuas quemque vices, ſiue ad conquirendam materiam, vnde vnguenta conficerentur, bufones, & ſcorpiones, & alia foeda id genus animalia ſaniemque bubonum. Ac ne dubitari poſſet, & fieri haec, & eſſe Daemonem artificem operis: conſtitit in medio luctu, & penè in media deſperatione Ciuitatis, ſignificaſſe Sancti Officij Patres, & affirmaſſe Praeſidi Archonato, quemadmodum certa dies eſſet praefinita Daemoni, vltra quam diem, nulla poteſtas Inferis, nulla licentia Orco in Populi Mediolanenſis vitam. Haec verba praeſes Sanctiſſimi Tribunalis Inquiſitor, Praeſidi noſtro effatus, litem, quae de vnguentis eſſet, potuit videri diremiſſe authoritate Apoſtolica, quae, nec fallere, nec falli poteſt.

Philoſopho, & Medico, & Tribunalis Conſeruatori Tadino, tamquam elementa haec opinionis, ac ſententiae de tota vnguentorum ratione erant: ſimiliaque his, & efficaciora

quaedam

quaedam alia insuper, vel, quae inde penderent, vel à quibus illa sustinerentur. Non fuit nouum hoc, neque Vrbi tantummodo nostrae accidit, vt crearetur hominum arte pestis, quae naturae malum aliàs, & aeris humorisue corrupti quaedam iniuria, corporumue lues intestina, ab halitu vel contactu transmissa, & accepta inuicem habita esset. Etiam Panormi in Sicilia quadriennio fere ante nostram hanc pestem mistus idem insania mortalium & fraude, furor Daemonum fuit: horribilique societate conspirauere cum aeterno implacabili hoste nefarij homines ad venenanda praecordia hominum aliorum, intercipiendamque vsuram spiritus huiusce, &lucis, qua spiramus diuino munere, & sumus.

Ibi, in Vrbe, & nobili, & antiqua, & opulenta, sex mensium spatio periere centum triginta quinque milia mortalium, fraude, scelereque, & furore isto, quo mortales Daemonum etiam ibi nequitiam induerunt. Et fuere Monatti, qui principio pestilentiae eius, singuli senis in singulos dies conducti aureis nummis, posteaquam, decrescente malo timuerant, ne quaestus quem facere coepissent, sibi periret, ab commercio fortasse sagarum, quaesito, & inuento ad Infernos spiritus aditu,

petiere

petiere inde ſubſidium , & turpi immanique temperamento compoſuere venena, quibus & vis mortifera per ſe, & veneficij nodus, vinculumque ineſſet.

Nobis item in priore peſte, quae Populo huic anno CIↃ IↃ LXXVI acciderat maxima omnium niſi poſterior haec illius quoque famam obtriuiſſet, haud ambigua portenta eadem fuere. Artifexque talium vnus, detecto, & conuicto ſcelere, cùm ei frangeretur laqueo gula, confeſſus rem, ſicuti erat, edidit remedia ſimul, quae ex aduerſo oppoſita, & contraria eiuſmodi venenis habuiſſet, remediumque expertae poſtea virtutis celebre ex illo ſuſpenſo authore nomen adhuc inter antidota habet. Ac praeter recentia, & nota haec, nihilo leuior authoritas paſſim inter veteris memoriae monumenta extat: quoties & veneficae repertae mulieres ob peſtem ita factam punitae fuerunt: & ſapone, & acu, & alijs denique quotidiani vſus inſtrumentis inducta peſte in maximas Vrbium, in claſſes quoque & naues, in Prouincias, & Regna tota, reperti, & puniti venefici dederint exempla, quae ideo non abſterruere alios eiuſdem portenti mortales, quominus eadem auderent.

Semperque erit hoc in terris quamdiù homines

mines

mines erunt, vt noua ſubinde flagitia repe-riantur, punianturque ſimul, & punita inua-leſcant, atque ſuppreſſa reſurgant, & omnino recurrat, ſicuti rerum caeterarum, ita ſcele-rum etiam idem orbis viceſque eaedem. Vn-de arguitur efficiturque: quod, & alibi aliàs, & in hac Vrbe noſtris temporibus olim factum ſpectatumq; ſit, potuiſſe etiam fieri, & acci-dere nuper, vt audaciae mortalium, & artes, naturam Inferoſque prouocarent, ſiue aſſu-merent hinc, atq; illinc, & vtrinque tertium quoddam potentiae genus aduerſus ipſorum vitam.

Affirmabat longo volumine differens talia Tadinus, notanſque etiam ſingula perſonis, & locis, temporibuſque diſtinguens, necnon teſtimonia in caput vnum quodq; depromens, atque aſſignans: affirmabat vidiſſe ipſum in via Sancti Raphaelis, vidiſſe quendam equo inſidentem, adſpergentem venenato puluere obuios, ſiue praetereuntes, occulta ſanè, & leniter ac dextere, modò porrecta, modò re-ducta manu: ſed ita tamen vt oculis ipſe ſuis vidiſſet: cùmq; admonendae vicinitatis cauſa exclamare coepiſſet, incitato calcaribus equo protinus aufugiſſe latronem. Noui, inquit, ego honeſtam vnam domum, in qua, & ami-

citiae

citiae causa, & occasione artis, frequens mihi consuetudo.

Haec tota domus extincta, desolataque est adspergine pulueris concinnati in duplicem illum exitij modum, vt venena simul inessent deuotionesque Inferorum: pestemq; eam duae nubiles puellae ab Seruitarum Patrum Templo tulere domum, cùm in Templi exitu, lustralis aquae partem immisso in sacra labra crateresue digito de more retulissent ad frontem, pectusque sibi, & humeros Christiano sic ritu munire voluissent. Ab eo contactu virgines notauere puluerulentum arenosumue quiddam quod vnà cum aquae guttis, fronti, vestibusq; & digitis, & in vola manus haesisset. Et mox, cum oculorum animiq; vertigine vacillare puellae: rotari capita illis: aegerrimeque delatae ad suos, conflictatae quadraginta horarum spatio innoxiam vitam miserrima morte finierunt absque vlla pestilentiae nota, quae compareret. Mater, & proximi ministrique eodem inexplicabili letho inuoluti ablatique omnes.

Senator Cacia notus Mediolani fuit, non ob Ordinis modò dignitatem & suam: sed ob casum denique vltimum, qui propter rei nouitatem, potuit perferre Viri nomen, ad eos

etiam,

etiam qui antea ignoraſſent. Habebat in familia Ferletam nomine, ſiue familiaris proprie ille, & ſeruorum vnus, ſiuè ex eorum tantummodo grege fuit, qui compendij vel clientale alicuius cauſa frequentant Patrum domos, deducuntque & reducunt ambitiosè ſimul & callidè quotidie Herum. Is Ferleta matutino acceſſu lautus, eleganſque, & venerabundus, & amoeno renidens ore obtulit Senatori florem, quem fortaſſe commendabat eximia ſpecies, odorue praecipuus ab florum grege diſcriminabat. Admouet humanitatis etiam cauſa Senator ſtatim hunc naribus florem ſpecie odorantis: & contaminatis illico vitalibus intra paucuſas horas cecidit.

Ad Volpedum in agro Derthonenſi reperti ſeptem, & in iudicium adducti, confeſſique crimen, & damnati actique in rotam lethalium veneficiorum magiſtri erant. Sub id tempus idque ſupplicium, ibi in uicino adnotata circa molas labe, quae peſtifera haec vnguenta referret, excogitatum experimenti cauſa factumque eſt, vt molli pane labes cae premerentur, obijcerenturq; micae gallinis, quae vorato carptim, ſicuti natura pullis eſt, eo cibatu, ſupino roſtro mortuae conciderunt: extaque ſectarum nigerrima comparuere.

Muſca,

musca, quae fortasse sederat huiusmodi maculis, cùm in auricula cuiusdam stetisset, est ille mortuus, absque vllo alio, vel morbo, vel dolore, nisi quod bestiolae aculeum morsumue senserat. Magna sanè indicia, pecudes homines, casusque isti, pestem hanc non fuisse naturae tantummodo, sed hominum ipsorum opus, & operi efficiundo simul adfuisse quicquid illud, aut irata natura parauit, siue deliquit aduersus vitam, siue delinquere Daemones possunt. Sed interius ad regna cauernasque Inferorum accedit, exijtue inde, quod memorabo.

Antonius Cruceius, & Io. Baptista Saraccus, fuere ciues Portae Ticinensis, incolae regionis eius, quae rectà fert ad Portam, & Cittadela loco nomen est. Accessere isti ad Tribunal, & iurati ita exposuere. Esse ibi in vicinia carpentarium hominem amicum suum, qui decumberet aeger. Ad eum visendum ire quotidie ipsos pro familiari consuetudine commotos etiam praesenti statu eius, si quid fortè vellet. Eum in proximo colloquio locutum esse totidem verbis. Intempesta hac no-
„ cte sensi per cubiculum ire nonnullos: clau-
„ sumque ostium erat. Cùm stupens, attonitus-
„ que caput erexissem, propinquauere lectulo,
„ & dixere:

„ & dixere : ſurgerem , ſequererque : ſtare in „ pomoerio Vrbis grandi authoritate virum, „ qui vaſa mihi daturus eſſet vnde vicinitatis „ huius aedes vniuerſae vngerentur .

„ Robur , & vires , & morbi finem , ſi vellem „ ire , promittebant. Dabant praeſentis pecu- „ niae vigintiquinque nummos aureos , quos , „ & depoſuere ſuper menſam , ita, vt ſonitus , „ tinnituſue mihi audiretur : ſentiebam interea „ concuti , & intremiſcere lectulum: diripi mihi „ lodicem , ſubtrahi lintea , & inhorruerat ani- „ mus meus , neq; hiſcere audebam. Sed quia „ inſtabant ſaepius atque vrgebant : interrogaui „ quinam hominum ipſi eſſent . Octauium Sa- „ xum edidere nomen. Negaui me facturum:neq; „ vltra quicquam audiui. Vos videte amici quid „ iſtud rei ſit. Nam mihi neque ſermo iam con- „ ſtat,neq;animus. Duo illi, Cruceius, & Saraccus totum ſicut retuli iſtud detulere ad Tribunal. Adeò, per haec, & alia, neque Tribunali, neq; Conſeruatori eius Tadino dubia veneficiorum fides erat .

DE QVODAM REPENTINO PESTIFERO TVMVLTV

AD XI Cal. ſextileis , Quum fere deceſſiſſet ſuſpicio animis , terrorque lethalium vnguen-

vnguentorum ille, ſi minus ex tota ſublatus Vrbe, certè intra multorum pectora ſopitus quotidie magis euaneſceret: repente praeter expectationem opinionemque omnium, arma, & ignes, diſcurſuſque per omnes vias armatorum, & hac data occaſione, ſicuti credidit vulgus, ac timuere primores, plena omnia vngentium fuere. Circa horam eius diei XI in Palatio congregati pauci Decurionum ſedebant de negotio fortè aliquo, prout ancipitia, & neceſſaria quotidie multa incidebant, inter ſe conſultantes.

Illuc in Aulae penetralia peruaſerat tumultus: ac ſubitò ab ſedibus ſuis non exciti, ſed conſternati Proceres, ad feneſtras alij proſiliere: quoſdam, & per ſcalarum gradus animi feruor tulit. Vna vox erat: ad arma: & hoſtes in Vrbe ſunt. Is ſubitò clamor ploratu mulierum, & vlulatu mixtus confuderat aures animoſque abſque vllo certae rei ſenſu, quae intelligi potuiſſet. Vt verò melius iam aliquid clariuſq; percipiebatur: rumor hic, & confuſa tamen adhuc fama reſonabat. Gallos eſſe, qui iam ad moenia ſucceſſiſſent diuiſique, & in latebras abditi miſiſſent ad incendendam Vrbem. Haec promiſcua vox Populi tumultuantis erat.

Sed

Sed & è Palatio miſſi qui viſerent, referebant, conſpici flammas: flammaeque verè erant, & ad Portam Tonſam flagrantibus ibi macellariorum tabernis: & ad Corriuium: & in Curia Ducis, congeſta illic, & micante lignorum ſtrue, quae incendia coniurati in id è plebe nonnulli excitarant, vt praedandi furandique locum, turbata ſic & commota Ciuitate, haberent. Accurritur vndique & itur, non ad reſtinguendos ignes ſubſidiaque aquarum ferenda vicinis, vti aſſolet, ſed ad rem ſolita animorum curioſitate fruendam oculis, & momento horae vnius, quicquid ferè mortalium ad eam diem ſuperſtes incolumeque erat: aut cinxerant rogos in coronae modum: aut imperio quaſi alicuius, impetu ſuo ferebantur illuc, & nihil aliud, quàm facti ſpectatores erant, fierique volebant.

Proceres adhuc ignari quidam iſtud rei eſſet, & rati vtique hoſtiles eos eſſe ignes, hoſtemq; adeſſe, & intraſſe Gallum, armant quoſcumq; circa ſe habebant, armanturque ipſi, & aditus Vrbis adeunt: adſiſtuntque cum cateruis globiſque ſuis velut in aciem. Neque die tantum nocteue illa, ſed & diebus aliquot noctibuſque inſecutis, quaſi, aut intraſſent iam, aut poſſent clauſis vtique Portis intrare Galli,

Galli, aut ipſos profectò hoſtes intra moenia repentè tellus edidiſſet. Nihil aliud, quàm coniuratio latrociniumque paucorum erat.

Caeterùm, dum vadunt ità: dum redeunt: dum inter ſe conglobantur: dum colloquuntur: dum attoniti haerent, conflata denuò quaedam parua peſtis eſt, quae, quoniam, ſine vllis peſtilentiae ſignis argumentiſue conſuetis abſumpſit poſtea exanimauitque multos: haud addubitatum, quin eſſent vnguenta rurſus immiſſa, & corporibus admota per Gallos mercenarioſue Gallorum. Et ea quidem hominum opinio ad vanum facilè poſtea recidit.

Peſtis autem contracta repente hoc & renouata tumultu, poſteaquam exterruerat delibaratq; nouis funeribus aliquandiu Populum, vertit deinde in iumenta: boueſque veluti populus ille alter, & beſtiae ſubſidiae agrorum, aut in opere ſtatim ipſo, aut ad ſtabula caulaſque, non ſecus ac telo repente confixae moriebantur. Ea per triennium ruſticae rei clades fuit, idque damnum: & praeſenti damno maior etiam futuri metus: ecquae futura finis vmquam eſſet irarum coeleſtium, nunc in vitam, nunc in ea queis vita ſuſtentatur.

Sub eos dies relatum eſt ad Tribunal, & retulere grauiſſimi Patres è ſacro ordine, qui-

bus,

bus, neque mos, neque causa mentiendi erat: in agris villisq; suis, aedibusue, quas ad tuenda rura, quasue ad recreandos è studiorum labore animos haberent, quasdam repertas esse pilas, & quaedam inuolucra glomosue nonnullos, agglomerata conuoluta contexta omnia ex peruncto ac manante guttis, & venenato filo, quae cùm sustulissent contrectassentque agricolae, vel è familia siue comitatu minus cauti quidam, confestim expirasse, & cecidisse exanemes: spicas item demetentibus in corbem cecidisse perunctas, & vnctis inde digitis, mortem illico secutam.

DE VARIIS PESTILENTIAE CASIBVS INTRA LAZARETVM AC DE PATRE FELICE PRAESIDE LAZARETI

DVM haec, & his similia mista tristibus ludicra, per Vrbem, atque in agris quotidie acciderent, continua intra Lazaretum, ac veluti profunda, & obstinata mali facies erat. Regimen, & summae rerum arbitrium ibi penes vnum fuit, quem memorari, inseriq; annalibus oportebat, etiamsi, non pestem, & cladem, sed patriae tantummodo decora, atque ornamenta scriberemus.

Frater

Frater Felix à Mediolano fuit è ſancto Capucinorum Ordine, per omnia aptus muneri, & prouidentia, nutuque diuino, veluti praeparatus, vti ſubſidium hoc in vltimo diſcrimine Reſpublica haberet. Corpus ei laborum tolerans: in medio virium robore aetas: animus ingens, placidus, mitis, ex manſuetudine, ac rigore temperatus: vitae, mortaliumque rerum contemptor, & ſpiritu planè eo, quo vitam etiam ipſam, reſque omnes humanas abdicare potuerat, cùm à ſaeculi delitijs ad ſaccum, & dura illa inſtituta tranſiret.

Litterae quoque Viro, ſiue quibus miſcetur mens humana coelo, ſiue quibus naturae arcana ſpeculamur. Et eloquentia aderat, nihil ſanè ad miſerias, & funera congruens, ſed tamen vſui futurum etiam id coeleſte munus cùm ſecluſa vanitate, pompaque Artis, remaneret ſolidum, & graue tantummodo illud, quod prudentia Chriſtiani Oratoris, ad permouendos, ſiue continendos in offitio animos apte depromit atque diſpenſat.

Hunc appellauere Decuriones, vt dignam ſua, & Ordinis ſanctitate curam ſuſcipere vellet. Ac modeſtè ille de ſe, de oneris, & negotij grauitate magnifice praefatus, ſumpto ad deliberandum ſpatio, ſtatuit adire Cardina-

lem.

lem Archiepiſcopum Vrbis ea ſcilicet mente conſiliorque, vt, ſi Vir Dei, Paſtorque tantus annueret: ingrederetur illico ipſe Lazaretum, vocemque: & nutum Archiepiſcopi diuina eſſe mandata interpretaretur: alioqui crederet, nequaquam ſe eſſe huic muneri deſtinatum, neque id officij ab ſe expoſcere Numen. Accidit verò facetum, atque elegans in medio luctu quiddam cùm ad Cardinalem ſuper ea re Capucinus acceſſiſſet.

Nam, quia Cardinalis, audito Fratre haeſerat pauliſper, intuleratq; nonnihil, quo dubitationem animi ſui nonnullam ſignificare videretur: flexo reuerenter poplite Capucinus, veluti dimiſſus abibat. Tunc Cardinalis amoeno vultu: Ita ne verò Pater, inquit, tam facilè, tam ſubito? Dixerat hoc, & ſtatim in amplexum Patris Felicis effuſus, hominem ſine fine deoſculabatur, familiaritate, & teneritudine teſtificans ea, quanti aeſtimaret, reperiſſe virum, qui pari ambitionis vitaeque contemptu, & relinquere Magiſtratum, & pericula adire ità paratus eſſet. Verſus deinde in viri penitus admirationem, nihil omiſit quo poteſtas ei, honoſq; augeretur, atque ad publicum iudicium aggregata ſua quoque authoritate, praeeſſe Lazareto ipſum iuſſit.

Mandato

Mandato hoc accepto, ingreditur ad pestilentem intra septa illa Populum pesti sanè destinatus, sed non moriturus peste Pater, vt res etiam ea venerationem augeret Viri, qui tot millibus, vitae salutisq; auctor, ipse opis indiguisset, quam alijs ferebat: idemque, posteaquam tot millia sepelierat, occumbere vnà frustra optauisset, tormentoque corporis penè occubuisset tamen, sicuti narrauere. Interea pulchrum simul, & miserabile spectaculum erat, quod miseria temporis, necessitasque exhibebat.

Opertus cilicio Pater, atque in eo paludamento exercens Imperium: interdiù maiestate nominis, & cuculli, per tenebras etiam hasta seu dolone armatus, assiduè peruigil, ac fere ieiunus, fessus semper, lacrymas, sudoremque miscens, obibat tuguria, porticus, viasque omnes: hîc vt flagitia ex occulto prohiberet: illic poenarum palam, premiorumue ostentator: alibi vestem, & fomenta diuidendo: alibi praebendo moribundis aures, & quos mortalis haec vita deserebat, his vitae alterius solatia, atque inuitamenta proponendo. Quotidianus hic, & sine quiete vlla perpetuus Patri labor erat: solicitudinesque interdum, & tormenta animi maiora vrgebant.

Quin-

Quinquagintamillia mortalium fere sub tentorijs porticibusque habebat. His alimenta vniuersis quamquam ex publico praeberentur: tamen exsuperans saepe multitudo fallebat curam, & dimensa, partesue eludebat, ita vt tanta illa cibariorum & vini copia infra famem sitimque multorum esset. Itaque grauissime aliquandiu in singula momenta angebatur, donec experimenta docuere, adesse Numen, atque assuefecere ita, vt cibaria tot millibus opportuna quandocumque deessent, in ipso vltimae necessitatis articulo, velut è coelo expectaret.

Narrauit Pater ipse, narratque adhuc; saepissime accidisse hoc, vt cùm exhausto poenore omni, & consumpto, quicquid panis, & vini praeparatum, conuectumque fuisset, malorum extremum dira fames Lazareto timeretur, copiae repente omnes in septa venirent, nominibus quoque suppressis hominum, vnde tanta liberalitas: tantum aliquando auri, & argenti esse oblatum, vt plures circa se pecuniae saccos attonitus admiraretur. Diuites homines, & opulentissimi Ciuium, siue monitu, instinctuque diuino, siue actum iam de rebus humanis, neque pecuniae vsum vltra quemquam sibi fore existimantes, vltro excitabantur,

tabantur, vt demereri ita Numen, & coeleſtes iras placare ſtuderent, ac vile iam ſibi metallum allegabant precibus, exonerabantq; illuc: nec ideo miſeriarum finis moduſue fiebat.

Nam, ſtatim vbi neceſſitati alicui ſubuentum erat, alia ſuperueniebat grauior, inſtantiorq; neceſſitas, cui ſubueniri non poſſet. Ipſamq; ſubueniendi alacritatem, dum recreandis corporibus opportuna diuiduntur, dum proſpicitur etiam in poſterum atque conſulitur, triſtiſſimi caſus turbabant, atq; in id quod ſubitò acciderat à praeſenti cura auertebant. Deliquia nempe, morteſue eorum, quibus cibus offerebatur, ſpumaeque ab ore manantes, & deprehenſa in zonis venena, & morte in ipſa facta confeſſio, indiciaq; manifeſta, tamquam vnctores ipſi quoque fuiſſent, & vncti viciſſim.

Sed, & ſubitum aliud è Coelo portentum, ac ni mirificè ſubuentum foret, exitium, & ruina repens, tuguria, quae ſub dio erant, intempeſta nocte, tugurijſque incluſos penè demerſit.

Ad x Cal. ſextileis, nocte, quae diem hunc inſequebatur, tanta aquarum proluuies deiecta eſt, quantam nunquam antea viſam fuiſſe memorabant ſenes: & ipſum ruere coelum viri foeminaeque crediderunt. Conuulſae, & diſſi-

& dissipatae sublicae, fulcra, tegetesque, sub quibus infelix turba degebat: permixtique paleis, lectulis, capsisue mortales per prata fluitabant. Matres, patresq; non de sua, sed de filiorum salute solliciti: quos dum inquirunt, dumue retinent, dumque vlulatu, & vagitu, vocibusque confusis inter tenebras, & vmbras malè agnoscunt: desperatio, dolor, inconditi clamores erant silentij instar, quia fragore coeli obstrepente nihil aliud exaudiri poterat. Nisi narratio iam inde à principio esset ista, quae clades humanas, & miracula diuina coniungeret: haud credibile cuipiam fieret hoc: hominem potuisse vnum obuiam ire violentiae huic, atq; ex tanta illa nocturna eluuione eripere naufragos infantes: conseruasse eis, imò reddidisse vitam.

Ad primum procellae strepitum, commotus animo Pater, ratus id quod erat, obtinere mox cuncta aquas, & infirmae praesertim aetati adesse exitium, ac ni propere succurreretur, serum, & inutile fore auxilium, excurrit, raptis vnà secum hominibus, in quibus ad grauissima quaeque plurimum fiduciae speique habebat. Rapidior ipse vnda, vndas certè contemnens, per stragem illam hominum, atque tuguriorum cum suo comitatu vadit. Ac sicuti

piscator

piſcator eripit, ex naſſa piſciculos, traditque capturae ſocijs, ac miniſtris, illique condunt in ſiſcellam: ita extrahebat ipſe infantes, tradebatque ſatellitibus, qui & ipſi extrahere non ceſſabant, atque ita, per manus, è prato in porticum, ex porticu in cubilia ferebantur: exſaeuijtque procella. Ea per aliquot dies tenuerat intemperies Coeli, ſyderumque, nec largius vmquam effuſi fuiſſe imbres dicebantur.

Cùmq; nocturna tempora diurnis iungeret veluti reſolutum in pluuias Coelum, rapiente inſuper, ac perſcindente omnia vento, penè putrefacti mortales tabidum deinde illum ſpiritum inter infeſta cuncta trahebant ſiue efflabant. Culpa in eo Principum Vrbis, an neceſſitas, improuiduſque caſus fuerit, haud equidem facilè ego dixerim, diſcreuerimue. Namque, vt tuguria plura ſtruxiſſe, tabulas, & munimenta obieciſſe potuerunt, quemadmodum, & patrum memoria factum fuerat: ita fuit is terror, ac violentia morbi, quae adimere conſilium, obſtupefacere mentem poſſet.

Periere incommodo vexationeque tanta etiam illi, quos nequaquam in mortem peſtilentia corripuerat, quoſue conquiſitorum, ac veſpillonum diligentia tabidis integros temerè aggregarat. Sanè proceres noſtri adiecere

curae,

curae, cogitationique huic animum, vt alias in remedium ſedes, & Lazareta minora pararent: ſed id lentè fiebat, vt appareret, vim quamdam eſſe occultam, quae ſubſidia illa impediret. Interim, aut intra tuguria conſtipati moriebantur, inficiebantque aegri validos, mortui aegros odore, & contactu: aut in Lazareta ſemifacta delati, ſubſidijs ipſis abſumebantur. simile habet T.

QVOMODO REMITTERE PESTILENTIA COEPERIT ET QVOMODO FINIS MALO HVIC

Contvmax aduerſus omnia remedia humana malum, & coercendis hominum culpis repertum, immiſſumq; diuinitus, non niſi nutu, & ope diuina coerceri, depellique poterat, quae ipſa exhauſtae penè iam, & niſi è Coelo ſubueniretur funditus interiturae Ciuitati in diſcrimine rerum ferè vltimo adfuit. Miraculumque tam praeſens & certum habitum eſt, quàm ea habentur, quae ſenſus ipſi percipiunt, ac perferunt ſuo munere ad animos.

Inter Templa alia, quae priſca religio Vrbis, quaeue recentior aetas, ſecuta mores, & exempla maiorum, Virgini Deiparae ſacrauit, cele-

celeberrima eſt aedes, cui gratia Diuae, & fauor in Vrbem ipſam, nobile cognomentum dedit. Gratiarum aedes ob crebra erga Ciues munera Sanctiſſimae Matris nuncupatur. Excoluere regali munificentia Duces noſtri, cùm id nomen, Imperiumque in Vrbe eſſet. Dominicani Patres columina Religionis, Monaſterium Aedi adiunctum habent, Aedemq; tuentur. Ibi Sancti Officij ſedes, ſupremumq; Tribunal.

Illic ad x Cal. Octobris intempeſtae noctis ſilentio, cùm requieſcerent Patres, aut lucubrarent, ſiue quibus id ſtudium, in preces, & pia meditamenta effuſi, in ſuo quiſq; cubiculo, aut in angulis Templi obſcuris, expectarent antelucanae pſalmodiae horas: confeſtim aera campana Templi eius, pulſu, ac tinnitu ſuopte perſonuerunt. Excitantur, qui ſemiſopiti decumbebant: vigileſque alij ad eius rei nouitatem admirabundi ſtupent, ſiue per conclauia trepidant, atque diſcurrunt. Citò apparuit, moueri tintinabula mirifico tactu, ſonoreſq; illos nemine pulſante cieri diuinitus. Aliorum admiratio, aliorum pauor eminet.

In commune omnes, quid rei eſſet, ambigebant: interimq; ſono campanarum mixtam maiorem humana vocem auditam ferunt.

Haec

Haec dicta : MISEREBOR . POPVLI . MEI . MATER . & ſequuta protinus interpretatio : finem adeſſe peſti. Deiparam id à Filio petijſſe, precibuſque eius ita conceſſum. Id ego retuli, quia teſtimonio Patrum, atq; deinde Ciuitatis vniuerſae fide, exituque ipſo firmatam rem in haec quoque publica monumenta recipi ius faſque erat. Inſomnis quoque turba captiuorum, quae ob aliquas in Religionis cauſa ſuſpiciones, aut culpas, Sancti Officij vinculis in ſeparata Monaſterij parte attinebatur, audierat : terroreſque ſuos ritè interrogati iſti expoſuere , cùm ſonitus voceſque inuſitatae ad trepidas aures ea nocte ſibi accidiſſent. Ac ne dubitari poſſet: ex eo Templo, & Praeſide Templi Diua profectam fuiſſe ſalutem : ſalutifera vis aduerſus publicam luem etiam oleo poſtea fuit , quod ante ſacratiſſimam Diuae ipſius effigiem in penſili lychnucho ardebat.

Eumque liquorem, ſequutis diebus,in praeſentiſſimo , ac mirifico remedio habitum ſummi infimique expetebant , in quos veluti coeleſte munus , guttae aliquae ſtillaeque diuidebantur. Inde, cùm ſeneſceret, ac remitteret quotidie malum , & propitiatum eſſe Numen , non ſpecies tantùm , atque fiducia

mira-

miraculi, sed iam fructus ipse, minore in dies mortuorum numero declararet: animi quoq; procerum, magis, magisque excitati sunt, vt negligentia procul omnis haberetur, cui raro vnquam diuina munera obtigerunt: atque quadraginta dies, ceu nouam, vltimamque spem indixere Ciuitati, populoque vniuerso, per quod temporis spatium, abditi, atque inclusi manerent. Commercia cum vicinis, euagationes & alia serendae amplificandaeq; pesti, vetita sub capitalibus poenis, quas antea spretas timeri iam vitarique cogebant monstrata inuitamenta vitae, & obiecta spes salutis.

Sub anni deinde finem pestis magis desierat, quàm securitas redierat, speciesq; sicuti resurgentis, ita trepidae, & afflictae, ac penè deletae Vrbis cernebatur. Pallido, & exangui ore, lurida macie, turbatis oculis, attonitoque vultu superstites, tamquam ab tumulo prodibant. Colloquia inter ipsos, mutuiq; congressus, non sine pauore adhuc, & quadam inuicem fuga. Non contingere dexteras, non sociare halitus, & reddita salutatione statim auerti, seruatae patriae, redditaeque salutis fidem haud capientes. Cautissimisque istis alij rursus occursabant inter publica mala, priuata

priuata ſecordia, multoq; otio pingues facti, prudentiam intempeſtiuam, metumq; ridentes, eò quòd abſque metu, prouiſuque vllo nihilominus ipſi euaſiſſent.

Simplices aut obſtinati homines, qui credere nolebant, quibuſue perſuaderi non poterat, ineſſe panno, multiſque rebus vim tangenti inimicam, atque exitiabilem: & nimium ſolertes alij, quibus potior erat rapiendi, habendique dulcedo, qui, dum rapiunt, atque ſeponunt quicquid ad manum fortè veniſſet, ac poſtea deinde raptis pertinaciſſime incubant, nec euolui inde poſſunt, alimenta peſti praebuere, magnumque negotium aduerſus infelices eos Tribunali fuit, & aduerſus ſpolia, quae occultata, defoſſa, abdita tenebant.

Puniebantur iſti à Iudicibus: erant iudicia & mulctae poenaeque & quotidiana edicta in eos: neque ideo poterant, vel peſtilentiae, vel poenarum, vel vtroque ſimul terrore cohiberi, quominus, & emerent, & furarentur, & abſconderent perniciem ipſi ſuam, venderentq; eandem alienis, nullo interim eius mercimomonij fructu, atq; emolumento maiore, quàm vt, vel inter mercandum ab ſatellite deprehenſi punirentur, vel, ſi fefellerant vtique ſpeculatores,

tores, inuoluerentur alio ineuitabili ſupplicio quod res ea vendita ſiue empta irrogabat. Immortui pleriq; erant veſtibus, linteis, quae abdiderant: & fuere, qui non familiam modò ſuam, ſed pagos, oppida, municipiaque tota, vnde abierat peſtis iam, vnius teruntij quaeſtu redigerent in priſtina mala cladeſque.

IOSEPHI RIPAMONTII
DE PESTILENTIA QVAE MEDIOLANI FVIT ANNO MDCXXX
LIBER III.

CARDINALIS & Archiepiſcopi Federici grandem animum, atque in omni vitae parte germanam diuini Patruelis altitudini mentem ſatis expreſſam eſſe arbitror ijs libris, quos de vita eius & Pontificatu compoſui tradidique Primicerio Vicecomiti filio ſororis eius & magnarum Auunculi virtutum penè heredi, pro ſingulari rerum iſtarum notitia & cura recognoſcendos ; edendoſque ſi ita videbitur. Admiranda ibi paſtoralia facta, & celebratis antiquorum Epiſcoporum, imò & Imperatorum virtutibus artes pares : penè militaris inter ſacra labor, ſpirituſque tantummodo honeſti appetens : modeſtia, & ſobrietas, & virginale occultum illud, quod numquam facilè

cilè de vllo creditur, tot annorum tenore custoditum approbatumque famae communi: litterae demum & opera ingenij relata sunt: vtinam verò omnia haec dignitate & elegantia, quae propria Scriptoris illius fuit. Caeterùm, artium virtutumque tantarum, nulla fuit, qua, vel ipse delectaretur, vel alij obstupescerent magis, quàm irrequieta peruigile cura in subiectos, non illa sanè magnifica tantummodo verbis atq; consilijs, dispare manu, qualis esse multorum solet, sed illa contemptrice auri, & effusa in sumptus omnes, queis publica salus, atque etiam vita singulorum indigeret.

EXPONVNTVR EA QVAE PROVIDIT INSTITVITQVE CARDINALIS AD PRIMOS DE PESTE RVMORES.

ANNO, qui prius dederat infaustos de pestilentia susurros, apertas deinde suspiciones, postremò rem ipsam, & exordia imminentis exitij, cùm accepisset, serpere coepisse malum per Dioecesis extrema, Valles nempe Rhaetis Heluetijsue subiectas: perculsus eo nuntio, haud aliter, quàm sicuti aliquis familiam domumue suam & prolem opprimi repentè pessumdarique

sumdarique sensisset: primùm omnium edidit mandata Parochis atque Vicarijs, quid prouidere, circumspicere, agere deberent, nequi decederent in tali tempore temerati grauesq; culpis, neue fame ac necessitate redigerentur in desperationem, grauissimam vltimamq; culparum.

Certùm deinde Sacerdotem elegit prudentia sibi probatum, innocentiaque vitae, atq; hunc pecunia probè instructum misit in Valles vnicuique agrestium illorum ex re ac necessitate consulturum, sicuti largè aequabiliterque fecit: & ex ea dein curatione reducem Cardinalis amplè remuneratus est. Haec cura Pastoris ad Vallium incolas fuerat statim vbi pestilentia facili ex Germania transitu incedere illac coepisset antequam nobis vllus eius mali timor. At nostrae famis tempore, quae prima fuit huic terrae pestis, vicina pariter Vrbi, & longinqua, & his interiecta rura, campestria simul & montana cuiam sensere eandem.

Tamquam alterum etiam ipse Publici Consilij corpus, alteraq; Ciuitas, & altera Resp. vel certè publicae liberalitatis aemulator vnus, adhortatorue simul, mittebat, dispensabatque pagatim hordei frumentique saccos, vt esuri-

rent minus & minus qui ſatiari non poterant omnes. Cùmq; famelica illa turba agreſtium, relictis agris, montibus, vallibuſque fugeret, ſicuti in principio expoſuimus, in Vrbem: aperuit infelicibus iſtis vltro domum, vnde acciperent alimentorum quotidie partem, & pulmento paneque refecta agmina matutinis horis, veluti ſibi oppigneratam ab fame vitae ſpem haberent in eum diem.

Et quoniam hac illecti fama veniebant in Vrbem quotidie plures, languoreque ac debilitate confecti ſternebant corpora per vias, & antequam poſſent alimenta vlla accipere, moriebantur: inſtituit fecitq; Cardinalis verè paternum illud, vti dimitteret per compita Sacerdotes, qui attenuatiſſimis illis exigua in ſpe trahentibus animam, ſuper alterius vitae hortamenta, ſalubres potiunculas hauſtuſque praeberent: ſeducerent eos in vicina quoque tecta, & ibi quiete neceſſaria, ſimul remedijs alloquijſq; recrearent. Excogitauerat & mandauerat iſta Cardinalis, quae ſeruata ſunt, & manſere, donec conquiri vagos Vrbe tota pauperes, cogique intra Lazaretum, & multitudinem illic ali vniuerſam, publico Conſilio expedire magis viſum.

Non tamen ille poſtea deſtitit alere ſicuti inſti-

inſtituerat modis ijſdem, & refouere multos, qui, vel pertaeſi Lazareti diſciplinam, & conſiſtendi leges, ex eo loco abibant, vel relicta ſua quiſque domo ſubinde confugiebant adhuc in Vrbem. Quantum huic eſurientium populo poterant ſufficere Cardinalis opes, pergebat vuà cum Rep. ſuſtinere onus, ac reperere apud ipſum priſtina ſubſidia miſeri, cùm è Lazateto effuſa colluuies iterum impleret foedaretque Vrbem. Iuuat conferre Viri huius Paſtoralem hanc curam cum cura & munificentia ciuili erga Patriae res afflictas, atque erga vltimum penè tempus Vrbis populique tanti. Taliſque comparatio neutri partium ingrata fuerit. Nam, ſicuti Ciuium vnus etiam ille erat: ita gloria communis in ſecula ibit exempli certaminiſque huius.

ORTA PESTILENTIA CARDINALIS MVLTA AGIT

AD primas peſtilentiae exorientis minas, ſicut prouiderant egerantq; proceres omnia, quae aduerſus immiſſa diuinitus tela prouidere agere poterat humanus timor: ita ſolicitudo Paſtori eadem fuit, neque, vt corpora tantùm exitio eriperentur, ſed multò magis, vt pars altera potior in tuto eſſet. Ac, ne

ſibi

sibi quidem satis ipse credens, satisue prouidè animaduersum aduersus pericula quicquam existimans, habebat quotidie consilium super praesenti rerum statu, prudentumque Sacerdotum sententiam anxiè exquirebat. Vbi exquisisset, alia ex dictis ac sententia ipsorum, plura prouisu arbitratuque suo exsequebatur.

Consiliarium verò certissimum vnum habebat, in cuius penitus authoritate conquiesceret: nempe Diui Caroli commentarios, Memorialemue libellum, quem ille pestilentiae suae tempore confecit. Inde pleraque desumendo, multa etiam ad illa addendo constituit huius calamitosissimi temporis quasi regimen & monstrauit itinera Sacerdotibus ac populo, quae ferrent ad salutem: quid obseruare, quid praecauere deberent, tum ne contraherent contactu halituue tabem, tum ne coelestes irae, vnde essent omnia, irritarentur.

Ad animas in extremo illo articulo ac discrimine expiandas eripiendasq; poenis, quicquid Apostolicae facultatis ipse habebat, concessit indulsitque Sacerdotibus, & nouas alias à Pont. Max. facultates impetrauit: atq; per vniuersam latè Dioecesim, huiusmodi facultatibus voluit instructos esse Sacerdotes,

ne

ne qua humani animi labes abſque remedio foret, neuè ſpiritum extremum culpa vlla ſequeretur. Sub initia ipſa peſtilentiae mouerat Cardinalis ad iſta animum, tunc ſcilicet, cùm Magiſtratus etiam, Decurioneſq; & proceres Vrbis perculſi infauſto rumore, qui quotidie magis inualeſcebat, ad remedia conquirenda conſilijs ſumptibuſque trepidarent. Vt verò propinquare Vrbi malum, & praeſentior iam res erat, conſilia ſimul ſolicitudineſque Cardinales flagrantius ardeſcere coeperunt. Colloqui cum Decurionibus & conſultare aſſidue cum eis: accerſere Parochos: admouere terrores: oſtentare praemia, quò promptius atque libentius pericula alioqui ineuitabilia adirent. Monaſteriorum quoque praefectos, & capita Ordinum Sacrorum excibat, qui & vltro accedebant ob celebrem de tanto Pontifice famam, operamque ſuam ei ad omnia quae vellet imperare pollicebantur. Laudabat benignè iſtos, & praeter ſempiternam praemia, quae ſperare poſſent, ſe quoque memorem fore oſtendebat pietatis & obſequij ſingulorum, atque effecturum, vt fructum operae qui deberetur ipſis, Ordines vniuerſi Familiaeque Sacrae illae ſentirent.

Affirmabat verò, & quam ſanctè teſtabatur

tur : certum ac deſtinatum eſſe ſibi , non decedere muneris ſui ſede quamdiu peſtilentia in Vrbe eſſet : non Vrbe egredi , non domo , niſi quoties populi ſalus , & publica aliqua neceſſitas euocaret. Conſtititq; promiſſi fides, adeò ſcilicet , vt in pertinaciae penè nomen interpretatione nonnullorum conſtantia tanta exiret. Quippe, cùm familia circa eum penè tota perijſſet, deſolatus, atq; deſtitutus neceſſarijs quoque miniſterijs, abnuit exire, pedemq; efferre recuſauit , irritis amicorum , & principum , medicorumq; precibus , qui ſeceſſum interea aliquem , & rura amoena ſuadebant.

Ad Lazareta tantummodo inſpicienda, ſiue ſupplicatum ibat , ſiue ad feneſtras & oſtia pauperum familiarum domi clauſarum , vti ſubueniret. Nemo qui vellet ipſum adire & alloqui prohibebatur. Nec ſolita caeremoniarum rituumue ſacrorum atq; concionum etiam omittebat : increpabatq; vocibus planè paternis , nunc è ſuggeſtu, nunc ad compita populum , primis vtique diebus , quòd ſegnes , & tardi , ſiue contumaces eſſent ad intelligenda oracula denuntiationeſque diuinas. Interfuimus nos, cùm ad D. Barnabae Fontem , ducta illuc ſupplicatione concionaretur , inſtauraretque preces expoſcendae veniae auxilioque

diuino

diuino per Apoſtolum, quem huius Eccleſiae fundatorem Epiſcopumque primum, non ſolùm pietas & inueterata fama Vrbis, ſed conſenſus quoque communis credit.

Nondum tunc clauſae per omnes vias, ſicuti poſtea domus erant: nondum ab colloquijs & adſpectu mutuo dirempti ciues: nondum in ſolitudinem verſa Vrbs erat: populuſq; iturus in funera penè vniuerſus ſpirabat adhuc, aderatque Archiepiſcopo ſupplicanti circumfuſus veſtigia illa calcans adoranſque ſimul. Ipſe lurida ſimul & fulgida macie referens Diui Caroli ſpeciem, qualem eum in ſimili Patriae clade ſupplicantem multi ſupererant adhuc qui vidiſſent, lacrymas ab ſingulorum oculis, & ab imo pectore ſuſpiria eliciebat. Facta ibi re diuina, conſcenſo ſuggeſtu, ſpargebat modò limpidam, & ſonoram, modò raucam flebilemq; toto campo vocem, & vatis in modum, ea, quae euenere, praedicebat.

„ Viri Mediolanenſes: Populе infelix: peſti-
„ lentiae praeda futura multitudo. Iam iam te
„ diuinae Iuſtitiae tela appetunt. Ibitiſq; ſub ter-
„ ram: & ſtabunt animae veſtrae ad Dei Tribu-
„ nal. Sed neq; credes tu mihi, donec impleueris
„ mortuorum congerie campos, caroque tua

eſca

„ esca vermibus fiat. Cecinerat haec, quae & secuta sunt. Obseratis tota deinceps Vrbe domibus, & repleto Lazareto, præfecit primores Cleri viros, qui ministeria cuncta recognoscerent, aliosq; minores qui ministrarent. Ac, neque his, neque illis credens, nonnullos occultè submittebat, per quos nauiter atque ordine diurna quaeque sibi exponerentur.

Volebat cognoscere mortuorum praecipuè numerum, casusq; subinde alios: & vt quidque nouum, atrox, miserabile inciderat, vel ibat ipse statim: vel mittebat alios: & quicquid opis humanae foret, aduersus ea moliebatur. Segniter in suo munere versatos increpuit ac puniuit asperitate vultus, quae maximum ei telum erat, quoties mouerat iusta ira animum. Desertorem vnum sui gregis reuocauit in stationem, poenisque & interdictis redire coegit. In commune omnes munifice tractauit ornando beneficijs ipsos, consanguineosq; eorum. Sic meruerant Parochi in primis. Nam inter omnia mirabilia vel incredibilia dictu, quae retuli, quaeue relaturus sum, nihil perinde superauerit fidem, quàm horum alacritas ad pericula contemnenda mortemque oppetendam, dum Deo, & Patriae, Cardinaliq; inseruirent. Ac, sicuti miserè

miserè morientis populi spectacula foeda, ita ruentium Sacerdotum in mortem spectacula non amplius reditura extiterunt.

Nocturni horis omnibus ad cadauerum & pestilentiae tecta ibant Animae vnius causa, quam vbi mysterijs & Sacramentis ad alterius, vitae limina produxissent, in eadem domo alios subinde expirantes expiare pergebant, expiatisq; immoriebantur. Fuere, qui relata domum peste cum familia sua tota perirent. Fuere, qui superstites suis, non damno, non moerore, praesentique mortis imagine, de constantiae suae gradu mouerentur, vellentq; nihilominus in eiusdem muneris perfunctione finire. Laus haec propria Parochorum fuit. Neque Canonici Sacerdotesue alij exsortes tanti decoris.

Cùm possent abire plerique mansere succedentes in munia etiam ipsi vicemque Parochorum. Patres Dominicani praesertim, Theatinique, & Franciscani Minores, quos calopodia, cuculliquc distinguunt, ad extremum vsque, socij laboris, imò Martyrij huius fuere: Martyresque veluti eos Ciuitas tota intuebatur. Auxere hoc merito nobilitatem Ordinum suorum: & parentum loco habiti sunt, semperque habendi erunt. Pulchrum

erat

erat cernere genera haec hominum immiſta Parochis ad laboris & mortis gloriaeque certamen. Maiorque adhuc in ipſo luctu voluptas, ipſos in tali certamine contemplari Parochos, qui nec vinci ſeſe volebant, & victos vltro fatebantur, eaque Patrum victoria, non ſecus ac triumpho quodam ſuo geſtiebant.

Circumferebant Altaris myſteria per vias cum eo apparatu & luminum honore, quem conditio temporis dabat. Vbi in moribundum aliquem iacentem humi inciderant, ſubſiſtebant, & audita confeſſione offerebant ei Panem Angelorum: protinuſque ille, tali cibo, (ſicuti ſperare debemus) ſubducebatur in Coelum, & exemplo atque inuitamento caeteris erat, vt oppetere ita auerent. Pulſabant oſtia Pattes Parochique: enitebantur ſcalis in feneſtras: & vtra alimentorum parte foret opus, obuia benignitate prompti largiq; aderant. Nam, & ſportulae è Cardinalis domo ſequebantur refertae bellarijs, cupedijs, cibis, qui palatum etiam irritare vel excitare morienti poſſent.

Dumque reficerentur ita corpora animique, hinc diuino, hinc humano cibatu, ſuperueniebat ſaepe, occurſabatque Cardinalis ipſe grande ſolatium, & ijs, qui curabant ita in

vtroque

vtroque homine periclitantes, & ijs, qui periclitabantur, atque curabantur. Si fieret obuius fortè Sacerdoti, qui Christi Corpus sub vmbella portaret in morbosam aliquam funestamq; domum, fiebat statim assecla mysterij, ferculumque coeleste deducebat & reducebat in Templum idem, vnde egressa pompa erat. Acciditque interea memorabile illud, vt, cùm anus vna semel, & nondum planè senex alter iterum, nescio quo spiritu procumbentes ante Sacerdotem pyxidemque eius, nondum elutis animi sordibus impertiri sibi sacra poposcissent, increparet eos submoueretque Cardinalis hac ipsa voce, quam vaticino illius ore effatam retulere qui audierunt.
" Quin tu facessis hinc cum intempestiua &
" contaminata ista pietate? quin vteris Sacra-
" mento Poenitentiae prius, deinde ad mysteria
" haec tremenda accedis?

Abscessereque illi, & rem confessi, sicuti erat, flagitium patefecere quod admittere voluissent. Prodibat ita subinde Cardinalis: & Eucharestiae Sacramentum celsissima res illa inprimis vt sanctè decorèque administraretur in tantis rerum hominumque turbis excubabat. Nec alia tam intima causa prodeundi fuit.

DE

DE LAZARETO ECCLESIASTICO QVOD CARDINALIS INSTITVIT

INDIGNVM ac deforme visu pariter & cogitatu erat, homines sacratos ministrosque sacrorum, inter nuda mulierum etiam cadauera nudos trahi carro eodem ad fossam, ibiq; nihilo honestiore sepulcro misceri, & contegi simul omnes: quod turpe spectaculum, turpemque ritum, necessitas & miseria temporis dederat. Canonicae aedes sunt, quà proteruae inutiles opes Humiliatorum lasciuierant olim: merueratque lasciuia illa censuram, & ex censura, post scelus immane, finem excidiumque Ordinis: & soboles illic hodie Parochorum alitur atq; eruditur. Hanc elegit Cardinalis Ecclesiastico Lazareto sedem, non tamen vt promiscuè Sacerdotes Clericiue omnes illuc contacti peste deportarentur: sed ij fere, qui per aliquod eiusmodi ministerium incidissent.

Praefecerat Lazareto huic principio quidem Hieronymum Septalium Medici Septalij fratrem, qui ex Archipresbytero Modoetiae Poenitentiarius Maior Vrbis factus erat eius animi litteraturaeque Vir, quales rarò antea paucos Ecclesia Mediolanensis viderat, pau-

cioresue

ciorefue fortaffe etiam inpofterum alios, vlla, vel Ecclefia, vel Ciuitas vifura eft. Mortuo autem eo, Primicerium Vicecomitem Sororis fuae filium, de quo in principio libri huius memoraui, praefecit. Hi fuere Praefides Antiftitesq; Ecclefiaftici Lazareti, poft alterum alter. Et idoneos ipfi alios ex grauiffimo Ordine, Oblatorum affumpfere, qui praefiderent ibi atque excubarent in vtramque curam, vt, & cum dignitate tractarentur atque alerentur decumbentes ibi claufiq; Sacerdotes, & benè pieq; moriendi fimul adiumenta omnia haberent. Aliarum rerum copia prouifa domi parataq; fuppetebat: alia fubinde comportabantur mittebanturque illuc è Cardinalis ipfius Domo prout ipfe mandarat.

Medici item & Chirurgi, & miniftri inferiores, tum conducti certique, tum extra ordinem parati promptique alij, vt praefto iftii effent, prout illorum quifque deceffiffet. Mortuifque prioribus Oblatis in minifterio curaque illa & adminiftratione Lazareti, non deerant ex Ordine eodem, qui fuccederent alacriter, palmamq; adamarent, tum vt Cardinali ipfi gratificarentur, tum verò, quia in munere cadere illo gloriofum putabant. Porrò, quia tot fuper alias alijs affiduè vrgentibus

impenfis,

impenſis, nimium oneris erat, opeſque & fortunae Cardinalis, tum Eccleſiaſticae, tum patriae multiplices quodammodo fatigabantur: admoniti ſunt reliqui per Vrbem Clerici, Canonici, Parochique omnes, vt pecuniarum aliquid, quantum ſcilicet cuiq; commodum eſſet, conferre ne grauarentur in opus id, & adeò pium, & adeò commune omnibus, quandoquidem poſſet accidere cuilibet, vt domo illa ſubſidijſq; ijſdem indigerent, quae animo ſimul & corpori pararentur. Contulere benignè multi, quos verecundia, quos pietas, quos etiam diuitiae ſtimulabant.

Et diuites intra id Lazaretum pecunioſique nonnulli, cùm viderent in propinquo finem, tradendo cuſtodibus ea, quae non poterant auferre ſecum, quaeue in alterius vitae comparatione ſpreuerant, ſubuenere neceſſitatibus, & auxere piam eam gazam. Fuit in aedibus Canonicae Lazaretum hoc per quattuor menſes. Numerus ibi decumbentium, maior minorue interdum: ſed vt minimum, ſexaginta fuere ſemper, quorum vt quiſque conualuerat, aderat caeteris miniſter, pretiaque diuinitus acceptae ſalutis certatim ita perſoluebant Numini, & Cardinali, & Eccleſiae huic.

DE

DE PECVNIA VLTRO DELATA AD CARDINALEM PER DVOS AGRESTES ET PER LOMELLINVM GENVENSEM

AD x Cal. Quinct. ſub eum diem, quo die ſupplicatio cum D. Caroli Reliquijs auguſtiſſima eadem & infauſta per Vrbem habita erat, ſtabat Cardinalis in conclaui, quà Pontificatus inſignia Crucem aſſeruari mos Aulae Metropolitanae eſt. Hora erat diei fere ſecunda: & facta in domeſtico ſacello re diuina Pontifex, nunc ſuo more illic ambulabundus & lenta propter aſſiduam meditationem ſpatia conficiens, nunc applicatus ad parietem, admittenſq; interea eos, qui accedere & alloqui vellent, extrahebat illam matutini temporis horam, idq; negotij pro ſolatio inter ſolicitudines & animi afflictamenta habebat. Nemo qui vellet ingredi prohibebatur: conſtiteramque forte ego in angulo illic iuxta cubiculi oſtium. Veniunt longò cubiculorum ordine agricolae duo pari fere aetate, pari gradu, veſtitu etiam viliore, quàm ſicuti eſſe aratoribus ſolet: ſed facies vtique honeſtior erat.

Ingrediuntur iure ſuo,[1] & poſitis geribus ante Cardinalem, is qui maior natu videbatur, ita infit. Domine germani fratres ſumus, „

„ cultores agelli, quem pater item agricola no-
„ bis reliquit. Habemus abdita in sinum & in-
„ suta vestimentis hîc duo millia nummûm au-
„ reorum, quam pecuniae summam, agri fruc-
„ tus, & parcimonia nostra laboresq; dederunt.
„ Habemus in animo deponere aurum hoc ad
„ Em. Vestrae pedes, vt habeat ipsa, dispensetq;
„ sicut ei videbitur. Haec dicta: statimq; depromebant. Commouerat noua res Cardinali animum: & profectò suspicatus, vana afferri, nec homines satis sanos esse illos, monebat: viderent quid agerent, quidue loquerentur.

Cùmque respondisset eorum alter: compotes ipsos esse mentis, nec errorem sibi esse vllum: accito è familiaribus vno Cardinalis, mandauit vti duceret istos ad Archidiaconum, & cum eo colloquerentur. Deducti per scalas, & introducti, praefati pauca de sua conditione & mente, diloricauere illico sibi à pectore lacernas, & chartacea inuolucra, effudere continentia nummos, quos vbi adnumerauere, postulauerunt, vti per scribam publicum, sicuti factum esset, res tota testato consignaretur, quemadmodum scilicet, pecunia ab se tradita Cardinalis arbitrio esset, & recepta per Archidiaconum nomine eius, tabellisque obsignatis abiere.

Retuli

Retuli ſicuti videram hoc, haud ſine alta equidem, & tunc, & poſtea ſemper, & hoc praecipuè momento, contemplatione mentis animique illius, nempe contemnentis aurum & nolentis vnquam polluere manus alienae pecuniae contactu. Sed ne pecuniam quidem ille ſuam adſpicere, adeò non contrectare ſolitus fuit: voluntarijq; largitores hoc ipſo tempore repudiati fuere cùm ſummas incredibiles offerre voluiſſent. Lomellinus fuit ditiſſimus haud dubiè popularium ſuorum, quem vidimus in Vrbe ſolitarium fere quendam, corpore procerum, colore fuſcum, habitu vix ad priuati modicè locupletis formam. Hic, ſimul pietate ardens, ſimul mole opum impeditus, & pertaeſus fortaſſe in patria ſua nonnihil Mediolani morabatur, planè dignus, qui Ciuis etiam hinc eſſet, quiue habitaret nobiſcum.

Mittebat occulta ſubſidia Monaſterijs, prout magna aliqua nota Viro neceſſitas impetuſue animi eius tuliſſet. Tria milla nummûm aureorum ad Cardinalem, ſemel, iterumq; detuliſſe ferebatur diuidenda ſicut ei placuiſſet. Hactenus grata peregrini hominis liberalitas pietaſque fuerat. Honos etiam à Cardinale habitus ei laudatuſque ipſe prolixè eſt. Vt verò acceſſerat demum, obtuleratque decem

millia

millia, & fortasse amplius: tunc Cardinalis, audita summa quae dabatur, vultu pariter animoque suspensus, aliquandiu primò haesitauit, veluti deliberabundus: ecquid, Apostolicum decorumue foret, ab vno priuato homine accipi pecuniae tantum. Dein, explicata liberaliter fronte: Vos verò, inquit, aurum argentumque istud deferte potius ad alios, qui magis indigeant. Abijtq; ille obstupefactus: & sicuti postea compertum est, pecuniam dedit hominibus nihil vmquam tale repudiare assuetis, qui strenuè accepto tam largo munere, multa in sacros vsus pretiosa vasa coemerunt: & addidere columnas, statuasque & picturas, & aurata lacunaria Templo. Reliquum in domesticas necessitates cessit, quae magnae, & multae tunc fortè vrgebant.

MONITA ET CONSILIA PER CARDINALEM EDITA CLERO

EXTAT series longa cautionum & remediorum, quas cautiones & remedia Clero tempore hoc edidit. Neq; alienum fuerit, praecipua quaedam inde transtulisse huc, vt vnà cum narratione malorum, proponantur in specimen vigilantiae tantae nimirum, sed ad vtilitatem quoq; alienam, si huiusmodi rerum vsus alicubi

inciderit, quod ne fiat, optamus ſanè, & à Deo Opt. Max. precamur. Baptizandis infantibus, qui ab vtero peſtilente editi in ſpem illam dubiam, exiguamque vitae eſſent, quoniam eſſet id omnino Sacramentum, cui conſummando caeremonia deniq; ſolennis, ipſeq; Sacerdos, & authoritas Eccleſiae requireretur, cauerat ita monueratque. Si quem ita
„ natum abs te baptizari continget, ſiue tu Pa-
„ rochus loci, ſiue alius pro Parocho Sacerdos
„ eris, non niſi interpoſito, ſi facultas erit, igni,
„ facies, quò ſanies illa aeris tibi infantique
„ circumfuſa diſſipetur, tempereturue ſaltem.
Abſinthij nonnihil etiam, vel aliquid huiuſmodi herbarum inijci curabis in remedij partem.

„ At in Sacramento Poenitentiae adminiſ-
„ trando, quae poſt luſtrales aquas altera
„ porta ſalutis eſt, facies iſta, & curabis. Si
„ aegrotus erit in eo ſtatu, vt moueri loco poſ-
„ ſit, euocabis in partem aliquam, vbi liberio-
„ re, & aperto Coelo conſiſtatis, tuque & ille
„ expiandus: ibique peragetur res. Si moueri
„ non poterit: ſtabitis vos ad feneſtram, vel in
„ limine oſtij, obſeruato hactenus interuallo,
„ vt arcana confeſſionis extra periculum ſint.
„ At propius accedere ſi neceſſe erit: cauebis,

ne

„ ne contingat veſtis tua veſtem, tegumentaq; „ vlla aegroti, halituſq; tuos cum ipſius anima, „ & ſpiritu, quamminime conſociabis, & ore „ quoad eius fieri poterit, in aliam partem ob- „ uerſo conſiſtes, auditor tu ſcilicet, arbiterque „ culparum.

„ Cubiculum illud vbi eritis, ſubfumigio in- „ terim aliquo purgari debebit ad grauitatem „ odorum & quicquid aliud poterit ineſſe tabi- „ fici tollendum. Id commodiſſimè fiet accenſa „ lauru, vel iunipero, bacchuliſq; generis eius, „ ſiue paleis etiam ad extremum, ſi caetera de- „ ſint. Iuuerit & tempora frontemque leuiſſe „ aceto, necnon per pilulae oſſeae vel eburneae „ foramina admouiſſe odoramenta naribus, id, „ quod priore quoq; peſtilentia factitatum pro- „ fuit. Voſque talia factitando, & cuſtodiendo, „ induſtriae ſaltem & obedientiae meritum vt- „ cumque habebitis. Caetera deinceps omnia praeſcripſerat Cardinalis, eadem cura, diligentiaque in Sacerdotum ſuorum vitam: veluti haec.

Poſſe Myſterium, quo ſacro ad ſuprémum certamen oleo morientes inunguntur, hoc tempore ſanè omitti. Sed ſi quis vellet inſigni pietate Sacerdos hoc etiam munere defungi, ſatis haberet alterum tantummodo oculum inunxiſſe

inunxisse aegro: supersederet vnctione lumborum, & crurum, quae minus necessaria Sacramento esset. Moneret aegrotum: decumbere clauso ore, corpore cooperto, ne spiritu aut vapore pestem ille inhalaret. Matrimonij solennia non indigere contactu: posseque Sacerdotem, dum nuptialia illa verba effatur, vltro submouere sponsos. Rem diuinam, illud esse mysterium, quo nusquam arceri Populus possit: semperque oportere licere congregari ad sacra, & conuenire promiscuos: caeterùm, posita ad templi valuas subductili Ara, posse conuenire, & interesse rei diuinae Populum, ita, vt neque Sacerdos ipse contrahat ex constipata multitudine morbum: neque multitudo plus morbi referat domum, quàm attulerit illuc. Sed viderit, caueritque Sacerdos, ne sacrificales apparatus adhibeat, quos mortui Sacerdotis euidens pestilentia polluerit.

Statim vbi mortuus ille esset, omnia instrumenta sacrorum, indusiaque, linteamina, mappas, ipsamque adeò Parochi supellectilem, purgari vniuersam, & seponi debere, meliusq; fore etiamsi ante casum eius vltimum, ad prima indicia viciniae periclitantis, preciosa quaeque, & difficiliora purgatu seponerentur illico, & ritè obsignarentur, vt finita deinde

clade

clade diſcerni ſuſpecta ab integris poſſent. Sepulturae quoque caeremonias, & ritus ad haec pericula attemperauit. Quae licet minima retuli tamen, vt exemplar hoc excubantis ad omnia Paſtoris repraeſentaretur illuſtrius, magiſque confirmaretur: & ſcias nihil omitti debuiſſe curae maioris illic, vbi leuia etiam haec & parua dictu ſuſciperentur.

Sed & miſſae per Dioeceſim vniuerſam ad Parochos Vicarioſque litterae magis adhuc ad viuum expreſſam habent imaginem atque ſimulacra omnia Paſtoralium ſenſuum erga Animarum hunc Gregem: verbaque ſingula verè videri magni Pauli voces poſſunt. In-
„ duite viſcera charitatis. Videte Gregem, vi-
„ dete circumuentos vltima neceſſitate filios,
„ quos peperit vobis & aſſignauit Eccleſia Ma-
„ ter. Parati eſtote, ſicut nos quoq; parati ſumus
„ abijcere mortalem hanc vitam potius quàm
„ deſerere familiam hanc, & domum, prolemq;
„ noſtram. Amplectimini ſicuti vitam & ſola-
„ tia, peſtem, dummodo lucrifacere Chriſto
„ Animam vnam poſſitis. Sicuti faces, & lu-
„ mina fulgeant modeſtia, ſobrietas, & caſtimo-
„ nia veſtra, caeteraeq; virtutes. Id Coeleſtis
„ irae placamen erit.

Haec totidem fere verbis, & in eandem ſen-

ſententiam, pleraque alia ſcripta reperi in Pontificalibus ad Parochos epiſtolis: ſimulque adnectebat. Monerent ſaepe Populum: non occultandam eſſe, diſſimulandamue peſtem: & grauiſſimè peccare, ſi qui occultare, ac diſſimulare vellent.

CVRA CARDINALIS IN MONASTERIA VIRGINVM SACRARVM

AD Monaſteria Sacratarum Deo Virginum, quò infirmior ibi ſexus, & vitae conditio velut exſors vitae, ſocietatiſq; communis, eò praeſentior ipſe aderat cum ſubſidijs, ſolatijſque omnibus, & omni prouidentiae ſuae cura: mandauitque omnia, & praeſcripſit, quae ſtatim, quaeue poſtea fieri deberent, vt Innoxij illi, pij, ſolitarij, coeloque reſeruati coetus, integra fama, integris animis, nec ſine iuſto quotidiano nutritu conſeruarentur. Prouidit, atque effecit, vt ſubinde coempta, & comportata dierum aliquot cibaria haberent, qua ſcilicet coemptione, & prouiſu cenſuerat, inter caetera, vitari colloquia inutilia cum multis, multorumque adeò introitus in Monaſteria neceſſarios eoſdem & ſemper ancipites.

Caetera,

Caetera, quae inferri, siue intromitti per conditorium versatile solerent, absque inuolucro, pannoue vllo, stanneis, vitreis, aeneisque vasibus indita esse debere praecepit: ipsumque vas, ipsamue fiscellam, siue quid eiusmodi aliud, nequaquam recipi intra Monasterium, sed extracto, & recepto, quicquid illud tulissent, restitui protinus & extra claustra fieri oportere monebat. Sic & vasa canistros, fiscellas, ferculaue alia id genus è Monasterio, quae traderentur, aut non debere tradi per id tempus, aut si tradita semel, & in manus egressa forent, non recipi oportere, contrectariue amplius. Scrinia item & capsas & quicquid aliud in custodiam, fidemque Monasterij Virginumue singularum tradere vellent amici consanguineique, ac benemeriti etiam de tota domo, & de vniuerso Ordine homines, admitti intra septa vetuit.

Numeroque circumscripto ac definito seruientium, circumscripsit simul consuetas illas ad clathra collocutiones officiaq; muliebrium epistolarum, bellariorumque missus, & alia eiusmodi semper quidem inania, & fere illicita, tunc verò etiam damnosa, & lethalia, ac nisi cohiberentur pestem illatura Monasterio.

Praesagit

PRAESAGIT DIVINITVS CARDINALIS FINEM ADESSE PESTI ACCINGITVRQVE AD RENOVANDA STVDIA CLERI ET ARTES

Parochos vrbanos ad LX mortuos esse cùm renuntiatum Cardinali esset, illacrymatus cladi est: & superstites iam pauci, qui circa eum in solitaria illa domo erant, retulere, quemadmodum in ea consternatione & luctu vidissent cum D. Ambrosij effigie colloquentem ea contentione vultus & habitu oris, vt querimonia quaedam intelligeretur mista precibus ad antiquum illum Pontificem Vrbis, ne Clerum Ecclesiamq; suam funditus interire sineret. Et rursus, notauere ab eo colloquio digredientem auertentemque sese exhilarata fronte in eum modum, quasi responsa quaedam propitia & amabilia accepisset: Finem adesse pesti: exoratumque Numen annuere, vt Ambrosiana res salua incolumisque foret.

Laxari deinde quotidie paulisper Cardinali animus: simul & paulatim decrescere malum. Atque, ineunte Septembri, magis magisque confirmatus, ipso natali Deiparae Virginis die, nihil intermisso eo solenni, cùm de more concionaretur, non dubitauit fausta & laeta & salu-

& ſalubria omnia polliceri ac denunciare Populo: ipſaque deinde ſecuta eſt ſalus. Reddita ſalute Vrbi, nimboque diſſipato, qui cuncta obtenebrarat, emicuit ſimul ille ſtudiorum artiumque vindex animus, quem tempeſtas adeò foeda obductum hactenus alienatumque tenuerat.

Tunc inſtitit renouare Seminaria iuuenum, proponere praemia, conquirere Magiſtros, doctoreſque litterarum, & quicquid aliud ad nutrienda ingenia opportunum foret. Pictores, atque Sculptores eximij, quoniam extincti etiam ipſi incendio, cladeque tanta fere abſtulerant ſecum artis vtriuſq; gloriam, & diſciplinam, quae ſocia, & aemulatrix, ſolatiumque litterarum ſemper fuerat propria Vrbis huius: eas artes vnà cum artibus, ſcientijſq. maioribus inſtaurare, ac reducere in Vrbem vehementiſſimè concupiuit intenditq;. Generis vtriuſque ſcholas in Bibliotheca, Collegioque Ambroſiano renouauit: & illuſtrium artificum opera, quae per vacuas domos deſerta, & neglecta iacebant, iuſto pretio coempta tranſtulit in id Muſaeum. Non alia gratiora ſtudia, & meditamenta Cardinali erant quamdiu poſtea in terris fuit, ſicuti fuſius, atq; copioſius in eius vita expoſuiſſe me arbitror.

DICTA.

DICTA ET SENTENTIAE CARDINALIS DE PESTE

CVM haec omnia, ſicuti vidi, atq; accepi ſcripſiſſem, porròq; pergerem indagare, & colligere vndique plura, quò plenior memoria rerum harum actionumque Cardinalis ad poſteros, in exemplum, diſciplinamque perueniret: nactus ſum ipſius quoq; breuiaria quaedam, in quae ſuo more contulerat, quicquid foecunda illa, & ſemper ad philoſophandum intenta mens, etiam è tantis Patriae calamitatibus elicere ſalutaris & pulcri amoeniq; potuiſſet. Non fraudabo, neque ipſum hac quoque gloriae parte, neque ingenia & vitam, vtilitatis & elegantiae fructu: placetq; transferre in monumenta haec noſtra, pulcherrima & triſtiſſima multa, quae ſpectator exitij Pontifex, de funeſto illo tempore, tum notata reliquit, tum verò etiam in familiari ſermone dicere ac narrare conſueuerat. Quomodo dicta memorabilia Socratis, eiuſque ſapientiae altitudinem ſcriptores alij cuſtodierunt: ita nobis etiam hae commentationes, & dicta Federici de peſte cuſtodientur.

Primùm omnium, ille cladem Vrbis Mediolani hanc antiquis Hieroſolymae cladibus,

quadam

quadam iudicij clementiaeque diuinae similitudine aequabat, repetendo ex Machabaeorum libris memoriam temporis eius, cùm Rex Antiochus irae Numinis minister cuncta ruinis illic excidioq; dedisset. Iras eas fuisse misericordiae, benignitatisq; coelestis: neque diuinitus aliud quaesitum, quàm vt Populus ille modestior fieret: sic, & Populo Mediolanensi accidisse. Dixerat Cardinalis, scripseratq; hoc, simulque adnectebat: intuentem opera se se pietatemque Ciuitatis, numquam adeò grauia exempla coelestium irarum in eam fuisse expectaturum. Sed arcana diuina exquirere, siue interpretari homini illicitum. Quae sublimi ore effata vox, & solatij semper, & testimonij loco esse Metropoli debebit.

Exsequendo inde caetera Cardinalis idem, suam de pestilentiae origine sententiam exponebat altitudine sapientiae, quae, mixta ex litterarum, & rerum omnium vsu ei adfuit. Et diuinitus repentè ita immissam, & profectam ab humanis quoque causis, & datam simul vtrinque tabem potuisse esse aiebat. Testeq; & authore vsus Homero eodem, quo grauissimi philosophorum, & sanctissimi Patrum vtuntur, demonstrabat, vibrantem pestilentiae tela Phoebum haud temere à Vate fuisse inductum.

ductum. Ita, Numinis vim, ad coercendos hoc etiam telo mortales esse ab illo declaratam: sed, & rerum argumentis intelligi volebat: nostram hanc pestem opus fuisse diuinum. Argumenta ex eo, quòd exercitus ille cohortesque Germanorum, quae pestem intulere Vrbi, intactae fere peste mansissent: quodq; Catholicus exercitus in Subalpinis ad Casalem acciperet hinc quotidie cibaria, pestilentia grassante, à nostris, neque commercio tamen eo pollueretur, haud occulta vi diuina, cui sic placitum: loca quidem alia, & homines alios hoc purgari pestilentiae remedio: alibi vero differri remedium id, & mala potius alia reseruari ijsdem, quos clades ista leuissime attigisset. Etiam intra septa Lazareti, nocte ea, quae propter eluuionem aquarum suprema inclusis esse potuerat, non esse violentia tempestatis absumptos, quos tamen pestis absumpserit postea fere omnes. Ita nempe destinatum, vt non solùm perirent hi mortales, sed etiam, vt peste perirent.

Hanc diuinitus pesti causam, atque initia è Coelo haec fuisse differebat. Caetera humanitus in hunc modum haud sanè multum abhorrentia illis, quae, & à nobis perscripta sunt. Orta est (aiebat) ex fame pestis: famem

„ ſterilitas agrorum, ſed & iniuriae militares „ dedere, violentiaque gentium externarum illata terrae huic. Namque Longobardorum „ genus, delicatum idem, & forte eſt: fortitudo indomitos ad bella, laboreſque fecit, „ quemadmodum hiſtoriae teſtantur. Sed rurſus ſuperbia, faſtidioque, & mollitie ingeniorum, incommoda, quibus etiam contumeliae „ adiunctae ſint, adſpernantur, peſſimèque oderunt. Inde malorum acrior ſenſus, deſperatioque, & taedium, & facilius recepta per „ impatientiam tabes. Haec de origine mali „ ſententia Cardinalis fuit, quatenus immiſſum „ eſſe diuinitus potuit, quatenuſue etiam ad cauſas, & principia humana referri id poſſet.

Principum Regumue externorum artificia & dolos, atque conſpirationes capiendae ita per vaſtationem Vrbis, nullas fuiſſe cenſuit. De venenato ad ſpargendam peſtem vnctu, virulentiſque mixturis, atque veneficijs, fuerintne aliqua, an finxerit verè talia vanitas, timorque hominum, haud definiebat: eiuſq; rei ſententiam in ſuſpenſo reliquit. Huc tamen inclinare viſus eſt, vt famae aſſentiretur circa id quod dictum, creditumque eſt, tamquam perditi, & inſani nonnulli, meditatione, & ſpe rapinarum id vngendi ſcelus excogitauiſſent:

uissent: horumque vecordiam amentiae nonnullarum artium aequiparabat. Quid non sperare Alchimistas, Astrologosue comminisci? Sic, & vnctores fortasse despondisse sibi praedam ingentem, mutationemque fortunae, si exhaustae familiae, deletae domus forent. Verùm, incerta haec, & in sinu nondum exploratae veritatis abdita. Caeterùm, manifestum certumque illud: prouidentia, altoq; consilio Numinis illatam Vrbi pestem adoleuisse mortalium scelere, vt mortales ipsi coercerentur, fierentque meliores.

Quòd autem circumacto per tot clades pestilentiae tempore, plus licentiae plusque libidinum apud pauperes iuxta & diuites cerneretur, quàm quantum ante pestem fuerat: rationem peruersitatis, corruptelaeque huius variam atque multiplicem esse potuisse: in primisque illam. Insolescere, efferrique homines post pestilentiae tempora, gaudio immodico, & inepto, tamquam de morte triumpharint, fuerintque ipsi in communi calamitate, singulari suo fato, & sorte felices. Velut, qui cibo potuque caruerunt, vbi data potestas, explentur, ingurgitanturq; affatim: sic istos, in genus omne voluptatum, quibus se putant fraudatos fuisse, demergi: rapere

vitia cuncta auidius, debacchari que & lasciuire exultim. Haec sicuti hactenus exposita sunt, scripta reperi à Cardinale in aduersarijs, quae raptim ipse conficiebat.

Caetera ibi erant eadem cura collecta, & notata sapienter: de artibus proseminandae pestis, & origine artium earum: de monstris: de horribili facie pestilentiae: de poenitentia Ciuium, & frequentatione mysteriorum: de ministris: de remedijs inanibus ad pestem euitandam vulgo adhibitis: de remedijs quoque salutaribus, quae ad refouendam ex tanta clade Ciuitatem, artesque restituendas adhiberi possent: & alia huiusmodi, quae, ex commentarijs nunc repetita ijsdem, tantò plus authoritatis habent, quantò plus dignitatis, & sanctimoniae Authori fuit: ad quem cuncta subinde referebantur, & cuncta ipse prudentissime considerabat.

In capite de pestiferis artibus, ita scribit.
„ Mendacio veritas, & falsa veris, facilè, libenter-
„ que miscentur. Sic & de peste manufacta, ple-
„ raque dicta sunt, quae, tum facile credas, tum
„ promptè refutaueris: nosq;, sicuti admittimus
„ nonnulla eorum: ita fidem alijs abrogari posse
„ censemus. Illud pro certo affirmare non dubi-
„ tem, fuisse multos, qui, velut aasolui se se ne-

gligentiae

„ gligentiae crimine exiſtimarent, ſi peſtem,
„ quam contactu, vel halitu contraxerant, vn-
„ gentium dolo impoſitam ſibi fuiſſe diuulgarent.
, Vngendiq; artes, verè an falsò hae ferebantur.
„ Vagari per Vrbem, & circumire nonnullos:
„ chartaſque circumferre venenatas, quae per
„ ſupplicum libellorum ſpeciem oblatae incau-
„ tis, contaminarent perimerentq; accipientes.
„ Telluri, frugibus, edulijs, nummulis etiam, qui
„ diuiderentur in pauperes, adſperſa ſeu indita
„ haec alimenta peſtis: peſſulos obijceſq; por-
„ tarum, & vaſa ipſa aquae luſtralis omnia de-
, mum, quae contingere manu vnctores poſſent,
„ polluta venenis, tabeque eadem. Altiora
„ perticis follibuſque petita: & tantam hanc
„ fuiſſe rabiem, conſpirationemque vngendi,
„ vt coniuratorum, ſeu emiſſariorum vnus pe-
„ tierit admitti in Monaſterium: atq; admiſſus
„ intulerit ſub larua ſanctimoniae peſtem, gre-
„ galeſque miſeros inunxerit ibi ad vnum omnes
„ non prius detecta fraude, quàm, & periere
„ fere cuncti.
„ Haec, & alia, quae multum fuerunt in ore
„ famae, neque credimus, inquit, omnia Car-
„ dinalis, neq; temere vulgata fuiſſe cenſemus.
„ Caeterùm, de eo vngentium furore ita ſcri-
, bere pergit hiſce fere verbis. Intra Lazaretum
vnctor

vnctor vnus publicè confessus est, initum sibi cum Daemone foedus: monstrauitque locum quò arculas, & vasa referta venenis abdidisset, ac deinde statim ab ea confessione, & indicio efflauit animam. Is antequam expiraret, stimulante desperatione, ac rabie, ferrum, in remedia quaesiuerat: quo subtracto, siue negato, tentauit, si acie nummi fauces incidere sibi posset. Mulier vna confessa vltro flagitium, filiam edidit participem sibi & ministram. Comprehensa statim, & cum vasculis, caeteroque vngendi instrumento reperta est. Rapiebatur, quidam eiusdem flagitij manifestus ad supplicium, carroque impositus, effusa ad spectaculum multitudine candenti per totum iter ferro subinde à carnifice, brachia, lacertosque nudus perstringebatur, prout supplicij forma dicta, & irrogata erat. Monstrauit hic è spectatoribus vnum, dixitq; satellitio: comprehenderent: reum esse culpae eiusdem: seq; hoc socio, & ministro sparsisse venena, tabefecisse quamplurimos.

Tales, & alij casus à Cardinale collecti, memoratique sunt, è quibus pauca haec, ceu specimen, atque exemplum insaniae artificum illorum relata sunto: sed quia quaestio haec, vti expositum antea est, multiplici torsit am-

bage dubitantes, fuerintne venena haec, & aliqua vngendi ars, an vanus absque re vlla timor, qualia saepe in extremis malis deliramenta animos occupare consueuerunt: pro sententia, & quaestionis fine ponam Cardinalis ipsius quoque de ea re dubitationem repetendo quae in partem vtramque differuerit.

„ Aiebat namq; ita. Constat: non vnicam, „ neque primam hanc esse pestem, quae fraude, flagitioque mortalium conflata dicatur. „ Nam extra Italiam, & intra, furores eiusmodi „ non semel extitere, liberq; de peste manufacta „ extat, haud dubium argumentum, aliàs quoq; „ saeuisse mortales in vitam, salutemque communem, & tela diuina sceleratis inuentis quo- „ dammodo esse imitatos, scelusque processisse. „ Neque enim res eiusmodi est, quae fieri „ quidem possit, sed difficultates habeat plurimas, atque incredibiles, sicuti de Alchimistarum arte fertur, quae metalla sanè excoquere „ in naturas, coloresque alienos audet, verùm „ arduo inexplicabilique fere conatu laborat „ circa id ipsum, consumiturque, & senescit. „ Altera haec, vbi virulenta tantummodo inuenerit medicamenta, quae nimium etiam facilia inuentu sunt, contenta scelere suo, & in- Alchimistarum venefica.

strumento

„ ſtrumento hoc, ſine magna mole peragit rem,
„ expediteque graſſatur. Accedit ad perdita
„ mortalium ingenia, maieſtatemque naturae
„ paſſim etiam venena exhibentis, natura quoq;
„ & potentia Daemonum ſemper inimica homi-
„ num generi, ſtimulatrix, & miniſtra, imò, &
„ magiſtra flagitio, per quod mortales in mu-
„ tuam perniciem implicantur, praedaq; gratiſſi-
„ ma corporum ſimul, & animarum paratur hoſti.
„ Confirmant iſta famam, quae de vnguentis,
„ & venenis increbuit. At in diuerſum illa ſuc-
„ currunt. Non potuere priuatis ſumptibus
„ haec portenta patrari. Regum, Principumue
„ nullus, opes, authoritatemque commodauit.
„ Ne caput quidem, authorue quiſpiam vncto-
„ rum iſtorum, furiarumque reperitur. Et haud
„ parua coniectura vanitatis eſt, quòd ſua ſpon-
„ te euanuit ſcelus duraturum haud dubie vſq;
„ in extrema, ſi vi aliqua, conſilioque certo ni-
„ teretur. Media inter haec ſententia, me-
„ diumque inter ambages dubiae hiſtoriae iter:
„ homines militares, violentos eoſdem, & la-
„ ſciuiae aſſuetos, partim quidem externos,
„ partim verò è noſtris, poſteaquam conditionem
„ temporum, ſtipendij anguſtias, duritiam labo-
„ ris, famemq; pertaeſi fuere, coepiſſe agitare
„ inter ſe, & moliri, quaenam ſuis malis, cala-

mitatibuſq;

„ mitatibusq; finis foret. Adiuuante Daemone, facesque admouente irritatis ita animis, artem vngendi excogitauisse hanc, cuius fortasse etiam elementa, & rudimenta artis è locis attulerant ijsdem, vnde, & pestilentia ipsa gradum huc fecisset.

„ Neque nouum hoc, vt calamitatibus, incommodisque fugiendis, scelerati homines, ad scelera ipsa confugiant: sed omni semper aeuo tales aliqui extiterunt, quos, & fortunae, animorumque similitudo consociauit, sicuti praesertim de Catilinae, coniuratis Romana monumenta prodiderunt. Deterrimos autem, siue teterrimos omnium mortalium hos fuisse vnctores, vel ex fine eorum, ac genere mortis in articulo extremo apparebat. Nam mysteria, vt plurimum, & inuitamenta salutis aeternae adspernati, iuxta laqueum ipsum torui contumacesque manebant, & post multos irritos conatus, atque hortamenta adhibita nequicquam velut capita addicta Orco strangulabantur.

„ Vnus eorum in ipso flagitio vngendi deprehensus, & captus, cùm puniendus illico, strangulandusque duceretur, conspecto carro, quo misti cadaueribus Monati vehebantur, capto impetu, proripuit se se ducentibus

,, transilijtque in mediam illam mortualem pe-
,, stilentemque turbam velut tutissimo perfugio
,, inter bubones & saniem, sanieque diffluen-
,, tes, quà manum porrigere nemo ausurus esset.
,, Petitus vndique telis & saxis, multa illic vul-
,, nera accepit, estque carro eodem euectus ad fossam. Hactenus prudentia, sententijsque Cardinalis, sed aliquantò subtilius more philosophantis tractata quaestio est de venenis, & vnguentis ad faciendam, alendam, proseminandamque pestem, vt inter aegra sic aut mortua corpora, vnctores, rapiendi, agendique, & ferendi cuncta locum haberent. Morientium verò casus, & spectacubula abominanda, miseranda narrauit, posuitq; haec.

Adolescentula nobilis fuit: cui adeò intumuerat lingua intra fauces, obstruxeratque septa dentium, vt per octo dies cibi nihil sumere posset. Secto dein vlcere, indita in os fistula, vitales succos parentes instillare coeperunt, quibus recreata paulisper, recrudescente aliquanto post morbo, perijt. Monachorum vni par linguae tumor, cibum, vitamq; abstulit, ita, vt per decem dierum spatium exserta duorum digitorum longitudine lingua, in summis doloribus, foedjore tamen spectaculo, quàm tormento moreretur. Mulier intra

Laza-

Lazaretum per quinque dies nusquam teneri potuit, quin perpetua cursitatione emetiretur omne id spatium, iretque viam, & rediret, vi scilicet morbi acta in furorem.

Conscindebat sibi vestem nudabatq; corpus, & vincula iniecta rumpebat, qualia spectacula pestilentiae Atheniensium, insanosque nuditatis illic etiam amores refert scriptor, per quem clades ea nobilitata est. Ex eadem Lazareti turba quidam alienato stomacho à cibis, octiduo toto planè ieiunus, & sine voce velut elinguis pro mortuo habebatur. Nono die vadit ad stabula Monatorum, arreptoque illic indomito equo nocturnus, ad auroram vsque nusquam intermisso cursu, per prata fatigauit adeo bestiam, vt dirupta concideret, ipseque cursor vnà exanimaretur. Fuit, qui corroso, & ambeso vtroque crure viuus relinqueretur: Fuit, qui lacerato stomacho praecordia horrendo hiatu palpitantia & aperta praeberet.

Deiectus è mentis potestate Monachus iuuenis agitante pestilentia hominem, eiecerat è claustris se se: vagabatur dictitans ipsum esse Pontificem: pedum oscula poscebat, quae quia dabat nemo: moestus abstinentiam cibi coniunxerat, decreueratque mori. Remedio fuit

fuit obſequij ſimulatio: atque adoratus pro Pontifice à nonnullis in ſpeciem, annuit vt ſibi alimenta porrigerentur, morbumq; & inſaniam depulit. Inſania nihilominus ridenda ſimul, & miſeranda fuit alterius, qui ſtagno demerſus ad fauces vſque pertingente aqua per triduum expers cibi cantitabat, id ſibi tutiſſimum eſſe perfugium aduerſus ſatellites: erepta ſibi furto decem millia nummûm aureorum, quod à Caeſare donum accepiſſet.

Eſtque hoc etiam Athenienſis illius peſtilentiae penè germanum, quòd ibi quoque morituri, puteos, aquaſque ſectabantur, ſicuti Thucidides refert. Iam foedum illud inprimis, dirumque viſu erat, quòd saniem, ſanguinemque fundentes naribus, aut ore aegri, vel integri, validique concidebant illicò, & expirabant. Excuſſit capitis dolor nonnullis oculos: & ridentes alij, neſcioſque peſtis ſeſe dictitando efflabant animam: deiecere ſe ſe praecipites alij, è feneſtris: & fuere, qui concurrerent inter ſe fuſtibus vſq; ad necem: hique conciſi verberibus ſimul, & abſumpti peſte, procubuere loco eodem, vbi concurrerant, atq; dimicarant ita per furorem.

Grauidae abortiuos foetus excludebant. Tempeſtiui editi partus delegabantur alendi

capris,

capris, quae ipſae in maternam hanc vicem paratae per Lazareti prata errabant, praebebantque mammas materno etiam ſenſu. Adnotatumque eſt pecudum earum vnam, adeò adamaſſe infantem, qui ſemel admotus fortè erat vt nullum alium ad vbera admittere vellet. Hunc ipſum amores deliciaſque Capellae, cum experimenti cauſa occultaſſent, quibus ea curioſitas fuit, impatiens deſiderij beſtiola, & balatu, & faſtidio pabuli dolorem teſtabatur, ac reddi ſibi alumnum, quodammodo poſcebat, itaut intelligeretur. Mox prolato infante, motus inconditos edebat, argumenta laetitiae geſtientis.

Capella aluit [in]fantem mirifi[ce] prorsus amore

Et miſeriarum quidem humanarum vltima exempla haec: illud verò clementiae diuinae ſingulare planè munus fuit, quòd in tanta colluuione rerum, tantiſque miſerijs ſceleratiſſimi quidam, qui per viginti annos numquam peccata ritè confeſſi fuerant, ac ſi quando Eccleſiae legibus id myſterium obire coacti fuiſſent, fraude doloque impio polluerant ſacra, ſeque ipſos: hi ipſi intra Lazaretum tacti coeleſti repente ſpiritu contumaciam exuerant, reliquerantque morientes eam de ſe opinionem, quaſi rectà in Coelum iuiſſent. Fauitque nonnullis adeo Coelum, vt in exceſſu,

cessu, articuloque vltimo vitae mirifica visa viderint, superûm nempe species, ac Deiparae praesertim faciem, quam, & monstrauere circumstantibus: hique de ea re testimonia perhibuerunt. Haec dicta Cardinalis erant.

De Corpore Diui Caroli efferendo, supplicationeque ea in principio fere pestilentiae inualescentis cùm ageretur, numquam placuerat ei hoc: crediderat que, negotium valde esse anceps ob causas sanè alias etiam, & quaedam arcana suspicionum suarum circa eam rem: ne scilicet, stolidissimi mortalium & mulierculae simplices, externa specie aestimare assuetae res quoq; diuinas, expectarent depingerentq; sibi maius praesentiusue quiddam eo quod visurae essent, quodque nihil ad merita beatitudinemq; Sanctorum attinet, vt Corpora nimirum etiam illa, quae inclusere coelestes animas communi sorte mortalitatis relinquantur absumenda tabi, quae sequitur huius vitae finem.

Sed timuerat praecipuè videratque id quod accidit: si vnguenta scelerata & vnctores in Vrbe essent, opportunam sceleri fore supplicationem, ac posse in tanta frequentia & concursu, quantum ea habitura esset, & vngere commodius, & occultari impuras illas inhumanasq;

manaſque manus. Si non eſſent: certum & ineuitabile vtique fore illud, quod etiam ſine frequentia & concurſu quotidie fieret inter ſingulos. Congregata agmina per vias populumque corporibus & ſpiritu conſociatum & connexos inuicem inter ſe ciues, haerentia viris etiam corpora veſteſque feminarum fore pro vnctoribus & vnguentis, certiuſque adeò malum.

Abnuerat ideo Cardinalis diſſuaſeratque etiam ne depromeretur Diui Caroli Corpus, neue ſupplicatio haberetur illa non omnes modò domos Vrbis, ſed rura ſimul pagoſque adductura in vnum agmen. Sed vbi acrius inſtabant: tunc adiuncta ad Ciuitatis & publici Conſilij authoritatem atque magnificentiam Eccleſiaſtica quoque maieſtate & ſplendore, enixè incubuit, vt aequaret pompa, ſi minus magnitudinem Diui reliquiarumque eius: at certè Cleri Ciuiumque pietatem.

In ſingulas ſupplicationis habendae ſtationes, quae preces & flebilia carmina recitanda eſſent, ad expoſcendam opem, clementiamq; Diuinam, praeſcripſit ipſe, atq; edidit, prout in paruum volumen collata iſta omnia extant. Et quia populi votis, ac publica quadam inter aerumnas gratulatione expoſcebatur, vt ipſum

ipſum Diui Caroli Corpus, non reconderetur ſtatim habita ſupplicatione, ſed adorandum affatim, contemplandumque relinqueretur: ſimul datum hoc deſiderijs, & pietati Ciuitatis, populique totius vti demonſtraui: ſimul compoſita à Cardinale eſt, editaq; diſciplina adorationis eius, vt adſiſterent in ſanctiſſimi Cadaueris conſpectum eo animorum habitu omnes quem verè habitum efficere Paſtor ille diuinus, & formare voluiſſet tunc cum incluſa coeleſtis Anima corpore eodem teneretur.

IOSEPHI RIPAMONTII
DE PESTILENTIA QVAE MEDIOLANI FVIT ANNO CIↃ DC XXX

LIB. IV.

HACTENVS ego in haec tristia monumenta contuli coelestium irarum vltima exempla: pestem causasque pestis ipso malo grauiores: corrupta in tabem instrumenta & gaudia vitae, spiritum nempe hunc, halitusque mutuos: versum in funera populum, ac penè sepultam frequentiam nomenq; Vrbis. Veneficia quoque, & venena, & venenorum officinas, & potentia vique Daemonum instructos ad ea coquenda, & dispensanda mortales: siue vera ea fama fuit: siue iniecta falsa suspicio animis, vt ad caetera mala tormentum etiam id, & aere, & inane accederet. Simul, aduersus haec ineuitabilia mala, & ingruentem hanc è Coelo necessitatem excogitata remedia, & sicuti credere licet, haud ingratos irato Nu-

mini,

mini, ſalutis, ac veniae impetrandae cauſa conatus eorum, qui Numinis deſtinatione plectebantur, expoſui.

Magni quoque Cardinalis & Archiepiſcopi Federici ſolicitudines & egregia facta, & vnius Viri animum ſpirituſq; mirificos, totius Reip. animis penè pares, ipſamq; Remp. & opibus, & pietate cum Paſtore ſuo quaſi Paſtorem alterum in tanta Populi calamitate coniunctam repraeſentaui ſicuti potui, imò ſicut res tulit. Quae omnia ita inter ſe vel connexa fuerunt, ordine, ac ſucceſſione rerum, vel confuſa propter temporis & rerum earumdem importunitatem, vt per nos etiam tum continuari prout accidêre debuerint, tum differri, ac ſepararari, prout & continuata tractu narrationis, & dilata ſunt atque collocata ſeorſim. Atq; ex tota triennij procella, quae fuit, dum ab occultis manifeſtiſue cauſis peſtilentia conflaretur: dum aſſurgeret incederetque ſenſim: dum ingrueret vi tota, & ſaeuiret, repeti nonnulla alia altius, & congeri vndique velut in cumulum aceruumue quendam commodius mihi nunc ad memoriam conſpectumue rerum expeditiuſque eſt.

Exponamque in primis publici Conſilij Ciuitatiſque Acta, & decreta, prout Secretarius

Eccleſia,

Ecclesia, tum innocentia vitae, tum scribendi prudentia probatissimus Ordini consignata & notata omnia reliquit. Ephemeridesque verè istae, veluti ars, & disciplina depellendae pestis inposterum esse poterunt. Omnia ibi perscripta consilia Procerum, responsa, decreta, mandata, litterae: summae quoque pecuniarum, & viae pecunijs in tali tempore inueniendis, & curationes, ac difficultates, ac diuisa ministeria inter Decuriones ipsos, & pleraque alia, quae tempus id tulit.

Anno CIↃ IↃC XXVIII Ad V Nonas Octobris à Tribunali Sanitatis, ad Tribunal Prouisionum litterae missae sunt huiusmodi scriptum habentes. Propterea quod pestilentia, per Galliam, Flandriamque, & Germaniam quotidie magis inualesceret, iamque apud Bernam, & Luceriam Vrbes, & in Valesanorum quoque terris, ac nouissime ad Posclauium, & alia Rhaetorum loca finitima Vulturenis serpere, grassarique palam id malum coepisset: ob eam rem, communicato etiam cum Vrbis Gubernatore consilio, statuisse Praesidem publicae valetudinis, non vltra cunctandum esse, quin, & Vrbis Portae munirentur solitomore cancellis, & tesserae instituerentur. Eius rei principium placere fieri ad XV

Cal.

Cal. Nouembis. Proinde postulare, ac monere vti darentur opportuna mandata, & cuncta in tali discrimine prouideri, ac fieri solita prouiderentur, & fierent.

Responsum à Tribunali Prouisionum est, eius negotij impensas ad Regium aerarium pertinere, ac super ea re pendere litem. Caeterùm tamen, & Vicarium, & XII Viros censere, vti referreretur ad publicum Consilium: statuerentque LX Decuriones, & decernerent arbitratu suo, sicuti semper antea factum, seruatumque esset.

Relatione facta LX Decuriones huiusmodi decretum fecere, Quod sine publici iuris detrimento, ac sine praeiuditio, fraudeue vlla iam institutae litis atque petitionis fieret: daretur Vicario facultas sumptuum, impensarumque faciendarum ad eam formam, quae prioris pestilentiae tempore seruata esset.

Anno CIↃ IↃC XXIX ad XII Cal. Februarij ad impetrandam è coelo veniam, & pacem decreuere Decuriones, vti pro salute mortuorum ad omnia templa res diuina fieret. Ea quatuormillia Hostiarum fuere. Sumptus è publico datus est.

Ad III Nonas Maij Vicarius in publico Concilio ita verba fecit, vt diceret: confluentibus

tibus vndique in Vrbem famelicis agricolis, compleri omnia illuuie, & squalore: cerni strata humi corpora passim, & expirare per compita quotidie nonnullos: pestemque, etiam si non aliunde inferatur, posse ex colluuione hac oriri: proinde rem fore dignam sapientia, & nobilitate, & pietate Decurionum, si curam, negotiumque suscepissent purgandi hac turba Vrbem, & subsidia aliqua decernendi, ne tabescerent fame, qui iam essent in Vrbe pauperes, neue is numerus concursu etiam externorum augeretur.

Decuriones, ob eam rem misericordia simul, & periculo commoti mandauere illico, vt tria millia nummûm aureorum depromerentur ex aerario in pauperum alimenta, assignarenturque. Simul, ad continendos in agris agricolas, iussere certum frumenti numerum ex publicis horreis distribui per municipia, & pagos, venundariq; pretio eodem, quo Ciuitas emisset.

Nonis Iunij ad prioris pecuniae summam, duo millia nummûm aureorum adiecta sunt: eaque assignata in eosdem vsus, praeter summam aliam, quam singulae per Vrbem Paroeciae, facta per domos ostiatim corrogatione contulerunt.

Idibus Decembris Vicarius in Consilio, retulit:

retulit : se cum Excellentissimo Gubernatore de praesenti rerum statu colloquutum : pleraque dicta inuicem. Summam, finemque in eo: quoniam pestis, famesque timeretur, debere comparari, cogique in horrea, seliginis, millij, panici, oryzaeque vim, quantamcumq; interrogati super ea re praefecti horreorum, emi posse responderent. Id necessariò faciendum esse, ne deessent alimenta plebi si quid tristius accidisset.

Pridie Iduum Decembris consulti praefecti rei frumentariae de ea emptione ita responderunt : posse emi seliginis tria millia modiorum: millij modios octingentos: mille modios oryzae : pretium in vniuersum fore, quadraginta quinque, siue quinquaginta millia nummûm aureorum. Huius conficiendae pecuniae rationem proposuere praefecti, additamentum ad seliginis millijque vectigal : eamque sententiam probauere Decuriones.

Ad XVIII Cal. Ianuarij Gubernator alias etiam inueniendae pecuniae vias proponi iussit : propositumque est nouum ad tritici, & olei vectigalia corollarium : nec non illata mentio de capitum, & ostiorum exactione instituenda.

Eo die in Consilio recitatae sunt litterae

missae

missae à Praeside Sanitatis actumque de noua pecunia exquirenda ob publicas necessitates, quae multae simul instabant. Lazareto inprimis, tantaeq; intra septa illa inclusae multitudini esse subueniendum. Pecuniae portionem, quae, facta in singulas prouinciae partes descriptione, Ciuitati conferenda in commune obtigisset, primo quoque tempore esse persoluendam: cunctando, & differendo, rem aggrauari, conditionemque fieri deteriorem. Etiam II. Viros, quorum alter, ad Leucum, alter ad Nouocomum praesidere iussi essent, terere ibi tempus inutiliter, eamque legationem inutilem esse, scribere quotidie, ac denunciare ipsos; nisi purgationes, & quadraginta dierum experimenta accedant, quae sine magno sumptu peragi non possint. Haec monita Praesidis fuere.

Postulabatque idem ab Ordine vniuerso Decurionum, vt, quoniam multae, grauesque impensae extra ordinem faciendae essent, potestas fieret Tribunali Prouisionum exsequendi mandata, quae à Tribunali Sanitatis, ob publicam salutem subinde darentur. Res ad Conseruatores Patrimonij reiecta est, vt, quoniam veterem consuetudinem, & iura, partesque Ciuitatis ij optime nossent, caperent

inde

inde consilium, officioque satisfacerent.

Ad xv Cal. Ianuarij Regius Gubernator, annuit, concessitque, vti tributum in capita exigeretur. Qua concessione facta, Conseruatoribus datum negotium est, vt de ratione tributi eius ineunda inter se consultarent, moxque referrent. Praefecti horreorum etiam consultare iussi de frumenti coemptione ad eam summam, quae iam statuta & praefinita erat.

Ad xi Cal. Ianuarij coemptionis huius instituendae causa facultas data Praefectis est, vt quindecim millia nummûm aureorum foenore sumerent.

Anno ciↃ iↃc xxx Ianuario ineunte placitum, vt ad Casalem maiorem afflictum pestilentia locum, tantum Oryzae, oleique mitteretur, quantum mille nummis aureis emi posset.

Ad vij Cal. Aprilis, efflagitante Praeside Sanitatis nouam pecuniae vim, quam ad prohibenda pestilentiae contagia necessariam esse diceret, quia non modica erat summa, quae postulabatur, relatum denuò est ad LX. Decuriones: hique, licet anno superiore Conseruatoribus facultatem suppeditandi cuncta necessaria tribuissent: tamen ob noui impen-

dij grauitatem, nouum fecere decretum, & jam concessa firmauere, denuntiationibus vtendo solitis, ne Ciuitatis iura ob eam rem quicquam detrimenti paterentur. Porrò ad haec humana consilia, diuinae quoque opis implorandae consilium accessit, ac pro Animarum salute, quae purgante igne torquerentur, decreta, sicut anno superiore, quatuor millia hostiarum: quae sacrificia totidem mille libris stetere. Dimidium summae eius ad Monasteria missum est, quà maxime juncta paupertati pietas, & religio emineret, celebrisque esset.

Ad III Nonas Aprilis, erogantur, Praeside Sanitatis efflagitante, quadringenti aurei nummi dispensandi in miserias, necessitatesq; pauperum. Exposuerat, namque Praeses, cerni per vias, & diuerticula Vrbis spirantia cadauera adhuc: infici tetro odore aërem, spiritumque superfusum: oculos, animosque intuentium pauore confundi. Eo die agitatum de infelicibus hisce ad Hospitale Stellae, siue aliquò aliò deportandis, alendisque ibi: dictumque est: posse dimitti extra Vrbem ex eo numero omnes, qui aliunde, quàm ex Ducatu huc ad mendicandum venisse reperirentur.

Ad III Idus Aprilis retulit Vicarius ad LX Decu-

Decuriones: dictum esse sibi à Magno Cancellario, & Gubernatoris quoque nomine significatum: oportere subsidia adhuc maiora parari, vt stipes, & eleemosinae per Vrbem largius aliquantò diuiderentur. Namq; mercatores opera facienda dare solitos, quorum mercede plebes alitur, id emolumentum subtrahere coepisse, magisque subtracturos, quò latius manaret, cresceretque pestilentiae terror. Ita, periculum esse ne cessante quaestu, per otium, & egestatem, ad flagitia plerique verterentur. Praesidem quoque Senatus, suo, & Ordinis nomine monere id ipsum. Haec à Vicario dicta, & exposita publico Concilio. Protulit etiam, recitauitque litteras sibi missas à Praeside Sanitatis huic denuntiationi & querimoniae congruentes.

Inerant dicta, & sententiae graues. Quàm numerosa multitudo haec: quàm assueta commodis etiam inter labores, & vitae voluptatibus: quàm porrò periculosum, & exitiabile Reip. si strenua simul haec, & lasciua plebes, à delicijs, & luxu, ad famem desperationemq; redigeretur. Scripserat ad Vicarium talia Praeses, & in epistolae fine penè desperata verba quaedam huiusmodi posuerat. Adest
„ calamitas, exitiumque certissimum: nec de

pestilentia

„ peſtilentia dubitari poteſt, quin praeſens ca-
„ pitaliſque ſit . Periere Monati nuper . Heri
„ Chirurgus. Hodie Lazareti ianitor, & me-
„ dicus Aplanus incidêre in morbum . Pater
„ Felix etiam grauiſſime laborat. Nos verò in-
„ ter tanta deprehenſi pericula , & minas , niſi
„ ſubſidia aliqua certa videmus, queis tueri , ac
„ ſuſtentare in tanta calamitate pauperes noſ-
„ trae commiſſos fidei poſſimus , vix ſperare
„ audemus in ſuſcepto diutius munere perſeue-
„ raturos , facileque abijciemus haſtas. Decu-
riones hac denuntiatione perculſi decreuere ,
vt è ſuo numero ſex eligerentur, qui ad Patri-
monij Conſeruatores additi ſummam habe-
rent rerum omnium poteſtatem , remque pe-
cuniariam arbitratu ſuo diſpenſarent cum hac
exceptione tamen, vt quandocumque ſumma
grauior eroganda foret , referrent de ea re ad
Conſilium.

Scripſit Gubernator ad LX. Decuriones :
pergerent ſtrenuè parare ſubſidia quae tem-
pus poſceret , ne vltima expectarent , quo
ſcilicet tempore ita accidere poſſet, vt obſeſſi
tamquam , & incluſi nulla tantae Vrbis Po-
pulo ſuppeditare alimenta poſſent. Populuſ-
que tantus inter duo extrema mala, peſtem,
& famem abſumeretur.

Etiam

Etiam ſine monitis , hortamentiſue iſtis, ſatis curarum, ſatiſque ſolicitudinis erat Tribunali Prouiſionum, & Conſilio publico: ſed nihil amplius fieri potuit, quàm, vt facultates iam datae renouarentur.

Cal. Iunij renouatae ſunt, non cum eo tantùm, vt fideiubere Selecti poſſent, ſed etiam, vt oppignerandi, atq; alienandi quaecunque Ciuitatis vectigalia ius eſſet. Item, ob Gubernatoris, & Senatus, & Magni Cancellarij obteſtationes, ſuper conferenda portione pecuniae, quae purgationum toto Ducatu faciendarum cauſa Ciuitati obtigerat, accepta conditio augendorum frumenti & olei vectigalium, quantum, & quamdiu opus foret. Interea dies aderat, quo die, purgandae vniuerſae Ciuitatis initium, dirimendiq; Ciues, à mutuo contactu, & intra ſua quoſque tecta ſecludendi, fieri oporteret, vt quadraginta dierum probatione, integri, morboſique diſcernerentur.

Ob eam rem, poſtulabat, monebatq; Praeſes Senatus vti è procerum numero bini regionatim eligerentur, qui, vnà cum Senatoribus in id ipſum electis, ad omnia, quae poſſent accidere, excubarent. Erant in ſingulas Vrbis Portas alij quoque nominandi, qui

Laza-

Lazaretis, tugurijſque cum ſumma poteſtate praeſiderent.

Et nihil humanae diuinaeque opis omittendo Decuriones, ſimul auxere Selectorum numerum, quò facilius, conuentus ob res neceſſarias haberi poſſent: ſimul decreuere, vt omnia, quae tantummodo quatuor eorum legitime, ac rite congregati ſtatuiſſent, perinde rata eſſent, ac ſi conueniſſent, aſſiſſentque omnes. Cineralium ieiuniorum religionem Romano ritu inchoandum eſſe cenſueuerant: ſed id votum, non ſicuti caetera probauere Paroeciae: ideoque omiſſum eſt.

Praeter teſſeras, & cancellos iam circumdata munimenta portis, & publicae ſecuritati, & praeter militares cuſtodias, ſtationeſque nobilium virorum, quos ſuae Portae praeeſſe debere binos antea decretum erat: architecti quoque circa Vrbis moenia miſſi ſunt ad inſpiciendum, ſi quà fortè, vel humilior murus, vel ruinae aliquae aſcenſum, tranſitumue clandeſtinum praebere poſſent ijs, qui fallere cuſtodias, & per fraudem ingredi vellent. Prout retulere vitia moenium, labeſque factas, nihil dilatum, quin reficerentur cuncta, probèque inſtaurarentur.

Crebrae ſuper his, alijſque rebus litterae mitte-

mittebantur à Tribunali Sanitatis, nunc, quae Praeſes ille cum eo Conſilio ſtatuiſſet, exponentes: nunc vt à Tribunali Prouiſionum alia ſtatuerentur opportuna petentes. Expoſuerant autem hae litterae inter caetera: cenſuiſſe id Tribunal, commodiores, facilioreſq; fore cuſtodias, ſi Portarum Vrbis, Noua, & Vigentina, clauſae obſtructaeque tenerentur: idque ita fieri iuſſiſſe. Lazaretti diſciplinam conſtituiſſe ipſos optimis legibus, & inſtitutis, quae collata in paruum vnum, & ſalutare volumen propediem miſſuri eſſent ad duos è Patrimònij Conſeruatoribus, Hieronymum Legnanum, & Antonium Romam, vt ad eam formam atque praeſcriptum adminiſtranda cuncta, & exſequenda curarent. Pertinere ad quietem, & ſtatum, atque ſalutem afflictae nunc quidem, ſed aliquando incolumis futurae Ciuitatis, vt omnes Paroeciae deſcriberentur.

Id Decuriones vti quamprimum, ſeduloq; fieret, operam dedere, electis tum è ſuo numero, tum è reliqua nobilitate viris idoneis, qui ſuſciperent curam. Ad eos miſſae litterae ſunt, quarum ſumma erat. Quantopere ſemper à Chriſto Saluatore commendati, pauperes eſſent: tam acceptum eidem fore

laborem

laborem quicunq; horum causa susciperetur. Proinde accingerentur ad descriptionem huiusmodi pro sua quisque parte, ordine & rectè, & primo quoque tempore faciendam, quò promptius, Ciuitas, cognita singulorum conditione, & statu, subuenire necessitatibus posset. Colloquerentur inter se delecti ad hoc munus, & consilia communicarent.

Dein profecti in rem praesentem, assumptis Parocho & Designatore, siue Antiano, singulas obirent suae quique Paroeciae domos, excitisque habitatoribus in suum conspectum benignè quemque interrogarent, masculos, foeminasque, & iuberent referri nomina in album cum aetate, & conditione cuiusque, & genere vitae, & quae quisque subsidia vitae habeat, quamue factitet artem, & si quae alia insuper cognoscenda & inquirenda putabunt. Si quid fortè difficultatis id negotium habebit, si quid noui inciderit, referant ad suae quisque Portae Praefectos, quibus, & descriptionis ipsius codices, tabulasq;, statim vbi erit peracta tradere debebunt. Haec summa litterarum fuit, quarum exemplum accepere singuli, & munus iniunctum à Republica obiere.

Peracto in hunc modum censu, litterae

aliae

aliae dimittuntur ad eoſdem, qui obierant ad munus, tabulaſque tradiderant. Rogabantur nunc, vt quotieſcumque intelligerent, inter eos, qui incluſi domibus tenerentur, aliquos eſſe, miſerè laborantes ob pauperiem, ac deſtitutos vitae alimentis, inſpecto codice, qui nomina, & fortunam omnium contineret, ad piſtrina deſtinata mandarent, indeque panis dimenſa pro cuiuſque egeſtate ſuppeditarentur diuidenda oſtiatim per homines probos, quos ipſi elegiſſent.

Vtenſilia, fulcra, tabulas, menſas, lintea, culcitras, lodices, aliaque id genus, quae aliquo peſtilentiae contactu, ſiue ſuſpicione nonnulla inquinata eſſent, cremari placuit, pretiumq; dominis à Ciuitate perſolui quanti quaeque res aeſtimatae eſſent. Ei aeſtimationi faciendae, qui praeeſſe deberent nominati fuerunt. Mox & alij nominantur, atque eliguntur per quos conquiſitio fieret mendicorum externorum, ſcilicet, vt in duo diuerſa loca coacti, & inſpecti, prout ius, faſque erat ablegarentur, exonerareturque aliena illa multitudine Ciuitas. Ablegandis verò, & à Ciuitate ſegregandis in loca ſeparata multis, qui è Ciuium numero ſubinde manifeſti peſtis, aut ſuſpecti reperiebantur, cum

à Prae-

à Praeside, & Tribunali Sanitatis destinaretur suburbium, cui à Trinitate cognomen est, id consilium Ciuitati minime placebat, Ac Praesidi respondêre Decuriones: satius videri, si aedificarentur tuguria per agros, ibique morbosi collocarentur, quàm vti pollueretur, fieretque pestilentiae domicilium pars illa integra adhuc, & intacta malo: super ea re non modo diffidebat à Tribunali Tribunal: sed ne inter Decuriones quidem ipsos, aut inter curatores, custodesque Sanitatis satis constabat vtra potior sententia foret.

Dicebatur hinc: regionem eam, & vicina suburbia scatere aquis, & nequaquam insalubribus, & aptis ad lauacra, rem adeo necessariam Lazareto, sordibusque eluendis: esseque in vicino prioris pestilentiae sepulchra fossam ingentem. Contra stabant, incolumitas iam dicta loci, cui sic fieret iniuria, vicinitasque viarum, & frequentium, & ferentium è locis, vel ad loca felicia adhuc, & saluberrima, nesciaque pestis: frequentem insuper esse Vicum tectis, & hortis, & adnexa vinearum vbertate, quae pretium augeret, vt nonnisi magno pretio conduci posset ea Lazareto sedes.

Rursus,

Rurſus, quod ad tuguria potius extruenda attineret, erat inter ambigendi cauſas, nomen, & fama Ciuitatis, quae tamen in eò miſero rerum ſtatu, commercij nonnullius cauſa, tuenda vtcunque eſſet. Nam ſigna extrema perditarum rerum, & peſtilentiae dominantis eſſe proiectum in mapalia populum. Et poſſe timeri, ne finitimae quoque, & ſubiectae Ciuitates hoc terrore conſternatae reuerentiam exſuerent, tollerentque, & prohiberent commercia cum Metropoli, quo nobis irrogato exilio, plus miſeriarum, maiora damna imminere, aggrauarique manifeſtè annonam. Sed ne palearum quidem eſſe ſatis ad domicilia populo ponenda haec. Et id, quod eſſet materiae ſtraminiſque huius, ſordidum, humidumq; reperiri, ac ſi ſol vrgeat, aeſtuare, & torreri corpora intus, nouamque imminere morborum luem. Si fierent ex tabulis aſſeribuſque tuguria: longum id opus nimis, grauemque fore impenſam, & cuſtodiarum ſimul, miniſtrorumque numerum ita oportere augeri.

Reperiebantur infecti quotidie complures, neque Lazareti Gregoriani capacitas vltra ſufficiebat, admittebatue vllos. Ideo vici Vigentini pars electa eſt, quà inſulam efficit

Vicus.

Vicus. Electi, qui cum incolis agerent, vti vacua fieret ea pars. Alij, qui culcitras, lodices, ligna, ſaccos, & mille veſtimenta emenda curarent.

Et huiuſmodi rerum, & alendi populi voraces impenſae cùm obuerſarentur animis, iamque praeſens, & impatiens morae neceſſitas ipſa ſumptuum, & erogandarum illico pecuniarum inſtaret, ad rem antea ſuſceptam, atque tentatam, animum adiecere Decuriones, vt regij auxilij partem expoſcerent, quod non modò tanti Regis clementiae erga fideles adeò ſubiectos, Maieſtatique ipſius conſentaneum, ſed etiam iure debitum eſſe arbitrabantur.

Ad Gubernatorem Spinulam obſidentem eo tempore Caſalem Vrbem, noua legatio miſſa eſt, quae expoſceret Ciuitatis nomine id auxilium: communes miſerias, & iura demum ipſa demonſtraret. Legati Vicecomites duo, Io. Baptiſta Coriolani filius, & Eques Carolus iére: taliaque à publico Concilio Gubernatori dicere iuſſi erant.

Peſtilentiae morbum, qui Vrbem inuaſiſſet, non remittere de vi ſua, ſed creſcere in dies, terribilioremque fieri. Penè etiam ad extrema ventum eſſe. Nec dubitare Ciuitatem,

quin

quin ad caeteros ſumptus, erogationemque pecuniarum intolerabilem, alendae propemodum vniuerſae plebis onus accedere debeat, niſi tot millia fidelium Ciuium, tot capita innoxia infantes paruuloſque pueros relinquere abſumenda fami ſimul, & peſti velit. Sed ne dubitare quidem, quin onera, impenſaeque iſtae pertinerent ad faſtigium, Maieſtatemque Regis. Extare exempla, quemadmodum veteres Mediolani Duces peſtilentiae temporibus ſubierint haec onera ſemper, & oppreſſam malo Ciuitatem ita ſubleuarint. Carolumque Caeſarem decreto etiam ſuo declaraſſe id ita eſſe faciendum.

Nec diſcordare legum authoritatem, quae ſemper huiuſmodi impenſas, a Ciuitatis, & Populi miſerijs, ad potentiam, opeſque Principum inclinarint. Mediolani tamen hanc Regiae maieſtatis, & munificentiae vicem conatos eſſe ſuſtinere Decuriones, vt fidelem Populum eidem Maieſtati conſeruarent. Nunc ad vltima ventum eſſe, remque deſperatam agi, ſi vltra ſuſtinere conentur. Aerarium, non ſolùm exhauſtum eſſe Ciuitatis, ſed etiam in ventura tempora oppigneratum, obligatumque teneri. Tributa quae viritim, ſeu oſtiatim imponantur facta eſſe vanum ſine

vllius

vllius rei fructu nomen : neque exigi posse, propterea quod, qui pendere ea deberent, nudi iam ipsi, inanesque facti sunt: atque nobilitatem praecipuè ipsam penè incultis, & desertis ob militum hospitia agris, sibi inopem, nihil habere quod in commune conferre possit.

Ptoinde supplicare statuisse Regio Gubernatori, & per eum, Maiestati Regis, vt tam afflictae, tam fideli Ciuitati subsidia aliqua inueniantur. Nominatim autem postulare hoc, vt quicquid pecuniae Regio Fisco pendat Ciuitas, remittatur, donec leuata malis, & paulisper recreata erit. Hoc certe laxamentum datum fuisse Ciuitati etiam anno 1576 tunc cum neque pestilentia par, neque rerum aliarum angustiae tantae essent, quantae vrgeant nunc, porròque immineant.

Marchionem Aiamontis, qui Prouinciam eo tempore gubernabat, & scripsisse de statu Ciuitatis ad Regem, & de leuamento ac remissione rogatum annuisse : quorum vtrumq; & rogaretur nunc, & verò etiam à potestate, & benignitate pari speraretur.

Spinula legatos humanissime alloquutus, litteras eis ad Ciuitatem, hoc est ad Decuriones capita Ciuitatis, dedit scriptas in hanc senten-

ſententiam. Maximo moerore ſe eſſe affectum, ob cladem, & mala Ciuitatis, quae Vicecomites duo, Carolus, & Ioannes Baptiſta, pari prudentia, & nobilitate Viri ſibi expoſuiſſent. Et augeri moerorem hoc ipſo, quod bello impeditus interim publicis hiſce malis intereſſe non poſſit omni ſua ope ſubleuaturus benemeritam adeò Ciuitatem, ſi adeſſet, praeſenſque eſſet. Attamen, magnopere confidere ſe, & pro certo habere, nobiliſſimos viros, & rerum capita Decuriones, in eo poſitos gradu dignitatis, officio ſuo non defuturos, caeteriſque etiam praebituros exemplum pietatis, quam erga Patriam explicare & exercere debeant.

Hoc illud eſſe tempus profundendi largè, atq; libenter ea, quae temporibus alijs retineri, & augeri ius faſque eſt. Ac licet difficile ſit conferre ſumptum curamque omnem in partem vnam illic vbi pleraque alia ſolicitudinem eandem, impenſaſq; requirunt: poſſe tamen conſiderare ipſos, ac videre, quod neceſſitas iſta pauperum praecipue alendorum ſuſtentandaeque plebis, praeuerti rebus alijs omnibus, anteponique debeat, ne egeſtas, & deſperatio priuata ruinam, exitiumque publicum trahat. Se pro ſua parte nulli rei,

actionique

actionique defuturum, quam ad pericula haec auertenda pertinere poſſe exiſtimet. Quicquid à Tribunali Prouiſionum, ſiue à Tribunali Sanitatis in rem fore iudicatum erit, in eo daturum operam, vt intelligant, non deeſſe ſibi ſtudium erga Metropolim, voluntatemq; optimam: & ea quae legati petierint, accuratè conſultaturum, quomodo fieri poſſint.

Longinqua nimium, & lenta ſubſidia fore haec apparebat, hactenuſque verborum tantummodo officia erant. Res autem ipſae dilationem nullo modo patiebantur. Ideo in Concilio magnopere erectis ob difficultatem exequendi animis agitatum, qua ratione, & via, quibuſue pecuniarum aceruis protinus haec omnia expedirentur, quae particulatim agitata aliàs, nunc cuncta ſimul vnà cum morbi incrementis ingruerant. Tribunalque Sanitatis ſuo iure efflagitabat quadraginta millia nummûm aureorum, quo ſubſidio Tribunal id agere agenda, & prouidenda prouidere poſſet.

Alia ſeparatim aureorum millia ſex decreta fuere perſoluendo rerum pretio dòminis, quorum domeſtica inſtrumenta cremarentur, ne quid vſpiam infecti ſiue contaminati reliquum fieret.

Ad

Ad xvj Cal. Maias congregati LX Decuriones nominatim facultatem dedere selectis istis, vti praedes ipsi fierent, atque fideiuberent nomine Ciuitatis apud eos, qui professi erant daturos se Ciuitati mutuò vigintiquinq; millia nummûm aureorum, quem pecuniae numerum Praeses Sanitatis necessarium esse dixerat, ad purganda per Ducatum vniuersum, corpora, loca, vtensilia, domos omnes, quacumque pestis aliqua suspicio parua fuisset.

Actum de mittenda legatione ad Gubernatorem Spinulam, qui Casalem eo tempore obsidebat summa legationis: deploratio miseriarum, necessitatumque Ciuitatis: item deprecatio onerum, atque tributorum, quae onera, & tributa Gubernatores alij in tali tempore condonare ac remittere consueuerunt. Legati, qui mitterentur, permissum eius rei iudicium ijsdem, qui, & pecuniae publicae, dispensatores, arbitriq; facti erant ad omnes pestilentiae impensas.

Actum eo die de religionibus etiam votisque nuncupandis, vt quoniam fluxa incerta, vana essent omnia, quae consilijs, & ope humana prouiderentur, certum illud efficacissimumq; auxilium, peteretur è Coelo, quod & saeculo

ſaeculo ſuperiore ſalutem perditis rebus ſub D. Carolo attuliſſet.

Negocium dedere ſelectis, vt conſultarent, referrentque ipſi, quae vota, quaſue Religiones inſtitui nuncupari oporteret. Ex eorum ſententia, & reſponſo decretum in haec verba factum eſt.

Diem Viſitationi Beatiſſimae Virginis ſacrum Populus Mediolanenſis ad triennium proximum inuiolabili lege feſtum, religioſumque habebit. Eius diei peruigilium ſeruabit. Triennio elapſo libera, & ſoluta religio haec vniuſcuiuſque pietati relinquetur, neque vltra tenebitur populus hac votiua lege.

Eo Viſitationis die quotannis in perpetuum ad Deiparae Aedem, quae iuxta Diui Celſi templum eſt dona portabuntur à Tribunali Prouiſionum, procedentque opifices cum inſignibus ſuis ſicuti moris eſt. Solenni ritu res diuina ſiet, praebente Tribunali ſumptum intereruntque omnes: ac primo voti huius anno, Decuriones ipſi inuitabuntur à Tribunali ad ſolenne hoc: ſinguli funale portabunt à ſe coemptum, offerentque Virgini liberatrici.

Ad D. Barnabae Fontem dona mittet Tribunal

bunal mille aureorum nummûm aeſtimatione: publicè portabuntur, tradenturque ritè, ac teſtatò loci Praefectis.

Eminentiſſimo Borromaeo Archiepiſcopo Vrbis ſupplicabitur à LX Decurionibus, vti corpus, quod Diui Caroli fuerat, compoſito ad pietatem agmine, ac ſupplicatione ſolemni portari per Vrbem velit. Si annuat: ea ſupplicatio quàm magnificentiſſime adornabitur, eritque pompa conueniens tantae Animae reliquijs. Atque recordata Ciuitas quanto Paſtor ille feruore animi, & quanta in Populum caritate egiſſet, tunc cùm hanc Vrbem in ipſius etiam Pontificatu, peſtilentia depopularetur, tantò praeſentius nunc è Coelo affuturum eſſe Diuum ſperans, ſtatuit, vouitque, deceſſus eius diem, feſtum, & nulli mortali operi faciundo ſacrum ſeruandum eſſe populo huic, eaque in perpetuum, religione ſe ſe obſtrinxerunt.

Haec publicè nuncupata vota pietate, conſilioque Decurionum, tantò plus ſpei, ſolatijque afferebant animis, quantò magis difficultates omnium rerum, & aerumnae, ſimulque pericula inpoſterum & cum futuri metu praeſentia mala inualeſcebant, aggra-

uabantque

uabantque homines, qui cùm pecuniam Ciuitati mutuam ſe daturos oſtendiſſent, mutauerant conſilium, & praecisè negabant.

Praeſes interim idem, Tribunalque Sanitatis poſtulabant à Rep. ingentes pecuniae ſummas, ob duo noua Lazareta, quae diffuſo iam latius, & finem haud inueniente morbo, fabricanda raptim inſtruendaque eſſent omnibus neceſſarijs, vt infecta, vel ſuſpecta iam aliquot millia ciuium egentiſſimorum alerentur ibi, & curarentur praeter aliam multitudinem, quae in Lazareto maximo prior acceperat cladis miſeriaeque ſedem. Nec à Praeſide tantùm ob has aliaſque inſtantes, praeſenteſue neceſſitates, Ordo ſolicitabatur: ſed & Magni Cancellarij, nunc preces, & monita, nunc Regij nutus authoritas accedebat, vt ne tempora omitterentur frumenti, olei, oryzae, ſalis, medicamentorumque coemendorum in quadraginta dies, quo tempore incluſa domibus tot millia alenda & curanda de publico eſſent.

Lectulos quadringentos vt minimum, & reliquam neceſſariam ſupellectilem eſſe parandam in Lazareta duo, quorum inſtruendorum cura Decurionibus Antonio Raynoldo, & Io. Petro

Negrolio tradita eſſet. Haec, & alia, quae ſingula ardua forent, acta, & decreta vno die omnia ſimul: ea dies fuit ad x Cal. Iunij.

Ad VI Nonas Iunij, Vicarius, quia cum peſte creſcebat ſimul opinio inſita animis peſtem eſſe manufactam, repertaeque erant maculae, & veſtigia paſſim vnguentorum praeferentia id veneficium: retulit de augendo premio indicij, ſi quis flagitij eius index inueniretur. Decretumque eſt vt ad ducentos aureos nummos, & exſulum duorum impunitatem iudicis arbitrio concedendam, quae iam praemia Gubernator propoſuiſſet, atque edixiſſet, adderentur Ciuitatis nomine quingenti aurei nummi.

Retulit idem: quoniam à Praeſide Sanitatis ſignificatum ſibi eſſet: nullos inueniri medicos, qui vellent ingredi Lazaretum ad inuiſendos ibi, curandoſque aegrotos: Collegiumque Medicorum rogatum à Tribunali per litteras, vt deſtinare aliquos vellet, cunctari adhuc, nec mittere quemquam, ideò non debere differri, quin Ciuitatis quoque nomine ſcriberetur ad id Collegium, vt patriae ſubuenirent, arte ſua, neue negando ſubſidium dehoneſtarent Artem, quae per ſe honeſtiſſima nouos hinc acceptura honores eſſet.

e D

Decreuere Decuriones ſcribendas eſſe litteras ad Collegium Medicorum : ſuntque praeſcriptae, & miſſae cum precibus, & obteſtatione graui ſicuti res poſtulabat.

Reſponſum à Collegio eſt : daturos è ſuo corpore, qui ſuccederent ad muros vſque Lazareti, & ſtantes citra foſſam mederentur vtcumque aegris : ingredi ad certam perniciem illa peſtilentiae tecta nolle quemquam. Inita ratio eſt, vt vnus, alterue medentium, publicè conducto, non procul à Lazareti ſeptis, & aſſignato domicilio habitaret : ſtipatores, cuſtodeſque corporis, circum tuguria, & caſas, lectuloſque deducerent : ſtipendium augeretur, quò promptius adiret pericula quiſquis ille ſuſcepiſſet id munus propoſito quaeſtu, Nec domi tantummodo medicos quaeſiuit Ciuitas : ſed etiam dato negotio mercatoribus, qui, per Germaniam, Galliamque negotiabantur, artis eius homines illecebra ſtipis elicere, & conducere tentauerunt.

Annuerat interea Borromaeus Eminentiſſimus, non titulo ſolum hoc, & communi honoris appellatione, ſed etiam ſingulari virtute Cardinalis, & planè paterna caritate Archiepiſcopus Vrbis, vt D. Caroli Corpus ſupplici agmine

agmine & pompa, quanta maxima posset adornari circumferetur, ostenderenturq; Coelo reliquiae Viri, qui iras olim eosdem placare praesentia sua potuisset, quemue labores, & merita illa subduxissent hinc in Coelum. Ac posteaquam, annuere ita Cardinalem, renuntiatum Ciuitati est: accuratissime Decuriones omnia agebant, vt ne quid ad supplicationis habendae honorem, celebritatemque deesset.

In primis autem elegerunt è suo ordine duos, qui cum Archipresbytero Ecclesiae Metropolitanae Alexandro Mazenta consilia communicarent, rationemque inirent, qua potissimum descriptione, & ornatu fierent Arca, & vmbella condendo, ac superne tegendo Corpori, dum per vias, & compita item describenda portaretur. Ad eam consultationem electi Marchio Ioannes Maria Vicecomes, & Balthasar Barzius fuere.

Apud Eminentissimum Borromaeum, Ministrosque eius nihil ab vlla parte remissum, quod piè, quod decorè, & ad mouendam populi pietatem accommodatè fieri posset: paribusque studijs, hinc ciuilis, hinc Ecclesiastica potestas, & magnificentia sacrorum erecta erat ad efferenda in publicum, & adornanda ossa, exuuiasque Pastoris cuius

nomine,

nomine, & fama nihil fortè vmquam in hac Metropoli plauſibilius fuit: & ſupererant, qui ſpirantem ipſum, viuumq; vidiſſent. Litterae Paſtorales à Cardinale Federico ſcriptae fuerunt, & eius iuſſu propoſitae locis omnibus, vt ſciret Populus id, quod de aperiendo ſepulchro, & efferrendo in lucem ſacro Corpore parabatur. Inerat hortatio grauiſſima ad ſingulos, vniuerſoſque, vt quoniam in tanta patriae clade, rebuſque pene deſperatis ventum eſſet ad ſpem hanc vltimam, mouendi ab tumulo oſſa, & Corpus exanime Pontificis, qui conſeruatae olim ab ſe Vrbis deprecator etiam nunc in Coelo ſingularis haberetur: mouerent pariter ipſi animos ad piacula culparum ſuſcipienda, quae gratiſſima coeleſti deprecatori huic ſemper fuiſſe haud ignorarent. Coniungerent ieiunia, Confeſſioneſque ſacras, & myſteria Altaris.

Non interim quies vlla dabatur ab neceſſitatibus, curiſque publicis, creſcente impenſarum magnitudine, quantò magis creſcebat malum, & remedijs adhuc omnibus contumacior peſtilentia, non humana, non diuina ope coërcebatur. Scripſere Decuriones ad Senatum implorantes Ciuitatis nomine

ne Regiam opem, atque facultatem imponendi tributa, quae imponenda censuissent. In primis verò petebant, vt saluum esset Ciuitati ius repetendi, atque exigendi à Regio Fisco pecunias: quod Senatus aequum fore respondit.

Ad xviij Cal. Quinctileis de votis publice nuncupatis Cardinali Archiepiscopo, Ciuitatis nomine supplicatum est in hunc modum.

Implorandi auxilij diuini causa aduersus pestem, quae tantam iam Mediolani stragem edidisset, nec de saeuitia remitteret quicquam inter caetera piacula coelestis irae LX. Decuriones optauisse, vt diem Visitationi Sanctissimae Virginis sacrum populus Mediolanensis, & sacrum Diuo Carolo diem festum, vtrumque, religiosumque seruaret, in perpetuum quidem hunc, illum verò conditione ea, vt triennio exacto libera vnicuiq; religio esset. In haec exquisita esse populi etiam ipsius studia regionatim, siue Collegiatim, atque annuisse, consensisseque omnes. Proinde petere nunc ab ipso Pastore populi, & Pontifice Vrbis, ac Praeside Sacrorum, vt haec nutu authoritateque sua confirmare velit, iubeatq; Parochos decreta

sic,

ſic , & ſancita, & publice ſuſcepta vota promulgare , ſicuti, & religiones eiuſmodi alias promulgari ſolenne eſt.

Spinula Gubernator è caſtris ab Caſale patentes huiuſmodi litteras dedit. Quoniam turbato propter peſtilentiam ſtatu Vrbis, alia quotidie , ex alijs negotia orirentur , quae ad Regium Gubernatorem referri, imperioq; eius, & poteſtate decerni oporteret, ipſeque in praeſentia bello occupatus, Regis, & Reip. cauſa abeſſet : ideo in magnum Cancellarium Antonium Ferrerium nomine ius omne Gubernatoris, poteſtatemque transferri, vt hoc abſentiae , & peſtilentiae tempore agenda , & decernenda cuncta agere , & decernere poſſet , eique Decuriones Vrbis , ad omnia praeſto eſſent.

Ad caeteras pecuniae conficiendae artes , quae excogitatae iam & tentatae erant, vrgente neceſſitate noua conſilia quaedam iniere Decuriones , & expoſuere Magno Cancellario , Senatuique. Ea fuere huiuſmodi.

Admonerentur vniuerſi per Vrbem quibus commoda domi res , vel ſi monita parum , hortationeſque proficerent , imperio etiam , & authoritate compellerentur , vt in tantis patriae neceſſitatibus , conferrent in publicum,

cum, quantum quiſque pecuniae, frumenti, vini poſſet, eoque ſubſidio Remp. ad alendos in tali tempore pauperes adiuuarent. Viciſſim ijs ex pecunia publica certi reditus aſſignarentur pro ea ſumma, quam quiſque Ciuitati commodaſſet.

Ediceret Gubernator, ediceret Senatus vt profiteretur vnuſquiſque quantum argenti, quantum frumenti, vinique haberet: ac facta per ſingulos huiuſmodi profeſſione, imperarentur tributa per domos, atque aequabiliter, pro modo, & habitu cuiuſq; exigerentur.

Euocarentur authoritate publica Collegia medicorum, Collegia cauſidicorum, mercatorum verò in primis, atque nummulariorum, & cum eis ageretur, vt Reip. ex qua creuiſſent, hoc maxime tempore commodarent, pauperibuſque pro ſua parte ſubueniendo capeſſerent pietatis ſimul gloriaeque partem.

Darentur Ciuitatis nominè litterae ad Cardinales, alioſque, qui ampla per Prouinciam agrumque Mediolanenſem Sacerdotia obtinerent: hique rogarentur, vt ex magnitudine, opulentiaque ſua vellent ſubuenire cultoribus terrae eiuſdem, vnde emolumenta percepiſſent, porròque percepturi eſſent, ſi non ad ſolitudinem, quae videretur imminere, redigeretur.

geretur. Par obteſtatio adhiberetur Monaſterijs, locisque pijs, vſurpaturis falsò vocabulum hoc titulumque pietatis inpoſterum, niſi piè nunc erga pauperes largeque agerent.

Supplicaretur demum Eminentiſſimo Borromaeo, vt ad caeteram ſuam ſpectatiſſimam hoc tempore caritatem, atque munificentiam adderet & aliud caritatis officium: Clericosque ſuos, quorum plerique locupletes, tum in Vrbe, tum extra Vrbem eſſent, ad ea, quibus abundarent, depromenda, & diuidenda hortaretur.

Haec omnia ſicuti cogitauerant expoſuerantque Decuriones, facienda cenſuit Senatus, deditque is Ordo litteras ad publicum Concilium Regis nomine, ſicuti moris eſt, & authoritate perſcriptas, quibus & cogitata prudenter omnia affirmabant Patres, & opem ſuam ad ea obtinenda, atque exſequenda paratam fore oſtendebant.

Haud deinde finis erat huiuſmodi litterarum, nunc Decurionum, & publici Conſilij ad Senatum, nunc Senatus ad Decuriones: & modò ad Gubernatorem vterque Ordo, modò ad Ordinem vtrumque Gubernator ipſe ſcribebat. Saepe in caſtra ad Hiſpanum commeauere proceres: ſaepe inde in Vrbem nunc man-

mandata, nunc promiſſa aliqua venêre ſuper ijs rebus, quas legati ſubſidium aduerſus publica mala petentes, expoſuerant. Cladeſque peſtilentiae haec, magnitudine, ac varietate conſiliorum & negotiorum, atque difficultatum ſubinde orientium penè bella aequauit. Sed includere huc, tùm legationum acta, tum litterarum exempla ſuperſedebo, ne nimis longum fecerim, & genus iam, ac ſumma earum demonſtrata eſt.

Caeterùm, dum tota conſternata Ciuitas in hunc modum exitij ſui contemplatione angeretur, nec minus conquiſitio remediorum animos, quàm corpora morbus exerceret, ſpes repente ſalutis affulſit, ſiue quia ad depellendam peſtem, humana quoque nonnihil ope, conſilijſque humanis profectum erat: ſiue quia clementia diuina, non delere, ſed admonere populum voluerat, effeceratque iam iſtud, & terruerat ſatis, purgaueratque Vrbem. Coepit paulatim remittere morbus: deinde quotidie magis, magiſque ſupprimebatur, & mortuorum numerum, dimidio, quàm pridiè minorem quotidie renuntiabant homines, quibus ea cura mandata erat.

Ita pleraque eorum, quae cogitata, & decreta erant, irrita fuere: ventumque eò eſt, vt

vt Praeſes Sanitatis Archonatus ad Decuriones ſcriberet decedentem ſe Magiſtratu liberam peſte relinquere Vrbem : id diuino munere datum : ſed, & conſilia, munificentiamq; Ciuitatis profuiſſe. Finis in eo : quoniam multis perſoluenda merces eſſet, qui ſtrenuam Reipublicae operam, fidelemque nauaſſent, erogaretur pecunia ſibi ad eam ſummam, vt ſuam, & Reipublicae fidem, in eo liberare poſſet. Mille aureorum nummûm in praeſentia datum eſt : de caetero facta ſpes : Praeſeſque laudatus, quod prouidè omnia, rectèque adminiſtraſſet.

Pro tanto beneficio grata Ciuitas erga Maieſtatem, clementiamque diuinam eſſe volens, conſultare inde coepit, quaenam acceptiſſima dona eſſe Numini poſſent, quidue publicae pietati maxime conſentaneum foret. Cenſuerant Decuriones, inter alia nonnulla, quadraginta dierum ſolenne ieiunium inchoandum eſſe Romano ritu, vt acceſſio illa poenitentiae ſalutaris vicem quaſi donorum ingentium expleret. Id quia populo non placuerat, exquiſitaeque ſententiae vicatim in id congruerant, vt de vetere Ambroſiano inſtituto Quadrageſimae ineundae nihil mutaretur : ad alia itum, quae, nec attingerent

populi

populi ſenſus, nec inſtituta antiqua verterent.

Penſilem lychnucum cum perpetui luminis alimento in Aede D. Mariae Gratiarum locauere ex argento faciendum, atq; ſuſpendendum primo quoque tempore ibi vnciarum ſexcentarum pondere. Item ad Deiparae Aedem, quae iuxta Diui Celſi eſt decreuere ſacrificalem apparatum eſſe mittendum pari ſumptu. Nec non ad ſummam eandem Patrono Vrbis D. Ambroſio, Temploque eius dona, quae maxime opportuna viderentur: cenſuitque Cardinalis, non poſſe melius in praeſentia collocari quicquid illud pecuniae offerendum Templo eſſet, quàm munienda ſimul, & adornanda clatris Ara maxima Templi eius: Idque factum ita eſt. In Diui Sebaſtiani Aedem abſoluendam, atque expoliendam, & pecunia collata praeſens, & decretum, vt ſumma maior daretur. Sexcenti aurei nummi diuiſi in monaſteria, coetuſque pios, prout quibuſque egeſtas, & fama ſanctimoniae maior eſſet.

Caetera, quae ad honorem Deo Opt. Max. habendum, gratiaſque pro tanto beneficio agendas pertinerent, permiſſa Conſeruatoribus, vt conſultarent, viderentq; ipſi, quibus maxime donis, quibuſue caeremonijs adorari

Numinis

Numinis clementiam oporteret, quae Ciuitatem iam ad extrema deductam in ipſo penè exitij articulo conſeruaſſet.

Malignitas & liuor, inuidiaque peſſima venena populorum, Rerumpublicarumque maximarum fuere ſemper, & erunt. Ne miſerrimo quidem hoc peſtilentiae tempore ceſſauere quominus, impeterent carperentque ſummam rem, tamquam omiſiſſent, neglexiſſentue Proceres Vrbis aliquid, quod fieri munificentius, accuratiuſue poſſet. Eius rei iudicium, ac ſententia mihi in ſuſpenſo relicta ſit. Id quod in tabulis, rationibuſque publicis reperi, quod ad ſumptus attinet tantummodo ponam. Quippe ſumma pecuniarum de publico erogatarum ob peſtem, ita perſcripta, atque ad nummum relata eſt aureorum nummûm cclxvii millia ſupputatione videlicet ea, qua nummus aureus pondo, libraſue ſenas pendit. Neque mendum, fraudemue ſubeſſe rationi ſuſpicari poterit, quiſquis, aut antea cognouerit, aut poſtea conſiderare volet omnia haec.

Lazaretum maximum, Lazareta minora ſpatia camporum, quae tugurijs occupari neceſſe fuit: tuguria, quae ſtructa penè innumerabilia fuerunt. Vtenſilia, conductas pe

Vrbem

Vrbem aedes, pharmaca, medicos, alimenta egentium aegrotantiumq; populo per decem continuos menſes: & tamquam in vna domo, prouiſa, apparata, praebita cuncta tot millibus. Atque, vt funeſta haec ratio ſubtilius aliquanto, exactiuſq; repraeſentata ſit, ſimul, vt omnis populi Mediolanenſis aetas haec etiam miſerabilia ſepulcra maiorum ſuorum agnoſcat: Sancti Barnabae Lazaretum Ticinenſi Porta fuit, Gregoriano Lazareto, & forma, & magnitudine pene par.

Decem iugera agri occupabat: habebat in medio extructam ſubitario opere ſacram Aedem. Aquariae machinae, quae largè fontes in publicum euergerent, fuere ibi, quatuor lauacra ſordibus eluendis. Tecta ad agendas excubias, ne qui egrederentur. Tecta Patrum, qui ad curam praecipuè animarum excubabant. Tecta ſeparatim eorum, qui purgati iam, cura tamen adhuc, cuſtodiaque attinebantur. Extra Lazaretum haec, intus vero cubicula CCXVII capitum ibi ad quatuor millia fuere.

Lazaretum Portae Cumanae iuxta Trinitatis Aedem haud diſſimili ſtructura, & deſcriptione apparabatur. Sed ad diem conſummari perficique non potuit. Aliaque

pariter

pariter inchoata Lazareta cum antecessisset praecipiti sua celeritate malum, id incommodi attulerant, vt & magna impensa struerentur, & vsui esse non possent. Subsidio fuere viculi nonnulli vacui facti statim, instructiq; & muniti, vt quasi Lazareta etiam haec fierent. Eiusmodi Lazareta, sepositique viculi in hunc vsum, & repente clausi, fuere quatuor. Porta Orientali vnus contra S. Rochi Crucem. Porta Vigentina alter. Porta Ticinensi tertius. Porta Cumana quartus. Includebant multas hinc inde domos, & ad muros vsque Vrbis, haec septa pertinebant.

Vsus, atque commoditas inde praecipuè petebatur haec, vt qui quadraginta dierum iam prima pericula euasissent, alios quadraginta dies exigerent hîc ad depulsi penitus periculi fidem, indeque purgati penitus, & securi, integrique dimitterentur. E sordibus ipsis, & media colluuione Lazaretorum extracti quicumque euaserant sic, atque superstites experimento fuerant, lauti, vestibusque nouis induti cura & religione patrum, composito ad pietatem agmine in nitida haec, & tutiora Lazareta ducebantur. Ad xxvj. millia hominum aliquando fuere, quos in spe maiore, seu minore, penè desperatos, siue penè

inco-

incolumes, quadragenaria mora detinebat: & quindecim millia in Lazaretum maximum prima ſtatim euectione deportata fuerunt.

Piget, pudetque tam infauſti operis ſi mapalia adhuc, & ſepulchra, funeraque, & cadauera mihi argumentum fiant. Mapalia ad P. N. ſexcenta quadraginta quinque fuerunt. Ad P. V. ſeptingenta quindecim. Ad P. R. trecenta, non amplius. Stetere ſingula nummis aureis binis, & impoſita campis fuere, quorum pretium perſolutum dominis eſt: gratiaeq; poſſeſſoribus agrorum inſuper actae, quod Reip. ita commodaſſent. Foſſae maximae cadaueribus accipiendis campos alios occupauere ſeparatim, ac fuere iſtae numero xxiv. praeter minores alias ad Portam vnamquamque foſſas, quas quotidie aperiri, & excauari cogebat pereuntium multitudo.

Mortuorum numerus haud ità exactè iniri potuit, quia in medio peſtilentiae feruore perierant etiam illi, quibus mandatum erat, vt ſummas eiuſmodi referrent. Hiſque alij, & deinceps alij ſuffecti pari violentia omnes auferebantur, donec minima illa curarum, vna cum maioribus alijs neceſſarijſque curis ob deſperationem omiſſa eſt. Coniectura tamen aeſtimatioque communis fuit: centum quadraginta

draginta millia capitum fuiſſe, quae perierunt: reperique ita perſcriptum in tabulis, rationibuſque ijſdem, vnde haec mihi petita ſunt omnia, quae retuli. Sed coniectura alia triſti, miſerandoque indicio numerum auget, addendo his etiam eos, qui in hortis, celliſque vinarijs defoſſi proximorum manibus clandeſtinum domi tumulum acceperunt.

Ea defunctis corporibus ludibria adijciebantur veſpillonum metu, quod genus, haud minus quam peſtilentia ipſa formidabile erat: ingreſſiq; ſemel iſti domum forte vnam, diripiendo, atque dilapidando cuncta excidium ſecum, luctumque inferebant.

Et ſicuti anceps ea coniectura eſt, dubiuſque numerus ob id peſte mortuorum: ita illud minime dubium: ſi longior peſtilentia fuiſſet, neque Ciuitatis nomen, neque publici Conſilij ſubſidia reliquiaſque antiquarum opum vltra duraturas, ſuffecturaſue populo diminuto quamuis, & minima ex parte ſuperſtiti, ac de eo rerum ſtatu Decuriones ad Gubernatorem Prouinciae Spinulam, inter caetera ſcripſere hiſce verbis.

„ Ciuitas Catholicae Maieſtati deuotiſſima,
„ ac fideliſſima omnium quotquot intra tanti
„ Imperij fines continentur, etiam ante peſtem,

ob

„ ob incommoda temporum exhausta penitus, „ & aere alieno demersa iacebat. Nunc Ambrosianum aerarium omne consumpsit, omnesque tentauit foenoris, & mutui vias, vt populum alendo, ac sustentando, sicuti fecit, „ Deo, & Regi, & Patriae seruiret: subijtque „ impensas, quas Maiestas ipsa inuictissimi „ Caesaris Caroli Quinti ad Regium Fiscum „ pertinere declarauit.

Sanè fastidij periculum apud legentes in hac praecupue parte vrget si pergere velim singula exequi, prout quaeque decreuerunt, & instituêre Proceres Vrbis, vt exitium istud, internecionemque Patriae prohiberent. Sed mihi religio quaedam fit omittendi quicquam eorum, quae sapientissimi viri in hoc tristissimo tempore, & vltimo pene casu curanda, & agenda susceperunt. Nam edicta, quae de singulis rebus, ac de vnoquoque capite promulgauere fortasse diffugient olim, siue absumentur, prout scilicet mobilitas est, leuitasque chartis. Monumenta verò haec si minus poterunt aeterna esse, stabile sanè illud fixumque habebunt, vt consumpta renouari possint. Nec edicta ipsa, sed summam eorum, sententiamque ponemus. Iussere muniri, & custodiri pagos, municipia, villas omnes

omnes agri Mediolanensis, ne promiscuè aditus pateret, neue exitus daretur. Nominatimque praescripsere, quae Oppida, quae loca ditionis, imperijque alieni caueri oporteret, ne aduenae admitterentur inde in Vrbem. Edixere, vt nomina quotidie referrentur, prout quaeque suspecta, siue manifestè morbosa, & contaminata domus deprehensa esset. Medici, Chirurgique dati, & quibus ad curationem necessaria deessent decreta, omnia è publico. Vetita bombycum ob tetros odores foetura: sublatum omne scrutorum, vestiumque commercium, quae vestes, quaeue scruta polluta iam vsu alieno: polluere etiam corpora possent. Nundinae quoque sublatae, nisi quod ad Leucum sub certis legibus vti haberentur, permissum, concessumque est. Reuocauere Patresfamilias in Vrbem, cum paulatim vniuersi ferè iam in agros exitij metu concessissent. Nouas aedium locationes, prohibuere fieri, ne migrando, & traijciendo supellectilia homines, quibus iam essent initia contagij traijcerent simul, atque inferrent in aliena tecta morbum. Et quia quotidie crescebat leuitas, ac pertinacia plebis adspernantis scilicet vti dictum est, pestilentiae famam, atque insectantis eos, qui

asse-

afſererent hanc, & remedia aliqua loquerentur: Egêre cum Principe Gubernatore Vrbis, vt minas & poenas, authoritatemque ſupremam interponeret: iſque ab Carmaniola, vbi propter belli neceſſitates hoc tempore morabatur edicta in eam rem opportuna compoſuit, miſitque in Vrbem.

Et quia contumacem eam ſimul, famelicamque plebem alendi, ac ſuſtentandi onus intolerabile quotidie magis fiebat, nec horrea ſufficiebant ſi panis ex tritico ſicuti inſtitutum fuerat, quotidie diuideretur, inſtituerunt, vt millium, & panicum etiam propria pabula plebis coquerentur in panes, reſtrictiorque ſimul inſtituta dimenſio eſt, prout exhauſto iam fere poenore, parcius, reſtriſtrictiuſque diſpenſari cuncta res cogebat. Supplicauere Regi, vt onera, tributa, vectigalia, quae penderet Regio Fiſco Ciuitas, tantis hiſce Reipublicae neceſſitatibus, oneribuſque quotidianis, & tantae cladi remitterentur, ſicuti etiam priore peſtilentia factum eſſet.

Et mox ad omnes cogendae pecuniae, cogendique frumenti rationes auerſi, edixere: qui frumentum inuehere in Vrbem, quiue Ciuitati pecuniam commodare, foenerarique vellet:

let: huic, & pro frumento pretium, & pro pecunia ſeptumciale foenus, Remp. dare, ac perſoluere paratam fore: ac ſi quis frumenti pretium etiam in reditus annuos cedere ſibi, mutarique vellet: optionem fore liberam, vt duarum conditionum altera venditor vteretur. Si qui inſtitores, propolae, ſalſamentarij, aromatarij, quiue etiam carbones, & ligna venditare conſueſſent, aut non ſedulò inſtructas ſuo quiſque mercimonij genere apothecas habere curaſſent, aut pretia rerum augere vellent: his irrogatae mulctae, tum quingentorum aureorum nummûm, tum ad maiorem quoque ſummam, ſi viſum ita Decurionibus foret.

In pagos municipia, villas, dimiſſae litterae, vt meſſores, agricolae, praediorumue conductores, qui intra x ab Vrbe lapidem agros, praediaue conducta haberent, adſeruarent accuratè paleas in tuguriorum vſum, atque inſuper in demetendis frugibus meminiſſent incidere culmos ad eam longitudinem vt vſui eſſe poſſent. Deſcriptio per viros nobiles in Vrbe facta domorum, familiarumque ſingularum, cum ſua cuiuſque conditione, & cenſu, & artificij genere, numeroque etiam, & aetate incolarum, & quot in quaq; domo

perijſſent

perijſſent iam, quotue inde in Lazareta exportati eſſent. Eiuſque faciendae deſcriptionis edita mandata, ne qua in ſubſidijs, eleemoſiniſque diuidendis publica fraus, errorue admitteretur.

Et pauperes admoniti ipſi, vt quoniam remittere iam aliquid peſtilentia coepiſſet, inciperent vnuſquiſque ad priſtina opificia, & artes, erigere, atque adijcere animum: ne ſemper publica ſubſidia expectarent, ſibi otioſi, alijs graues: nam Ciuitatis opes iam fere eſſe conſumptas. Ita deficere Rempubl. nec exſatiari poſſe ſingulos. Scripta ad terrorem, diſciplinamque haec: caeterum tamen aduerſus neceſſitates vltimas, facta priſtinae munificentiae ſpes, quotieſcunque diſſidiae culpa abeſſet. Aduerſus mendicos, atque errones, indigenas, alienigenaſue latae poenae, ſtatuto bidui ſpatio noſtratibus, intra quod, ad Diui Ambroſij Zenodochium ſtitiſſe deberent: externi, niſi intra quartum ab edicto diem faceſſerent hinc procul, atque abirent, triremium, aut virgarum, prout ſexus, ſiue aetas, indicta poena.

Monattorum, & Monattarum acrius cöercita licentia, vt laqueo ſtrangularentur, furciſque penderent, qui eorum, quaeue earum,

aut

aut furarentur è domibus, aut defoderent, occultarentue furta, aut defossa haec, & occultata non indicarent, deferrentque ad Magistratus. Fatigamur nos quoque talia referendo: satietasque subit animum meum illa videlicet, aduersus quam veluti obfirmatus, & inuictus edicta, & decreta sic delibare, & perstringere omnia statueram: ac fastidio nunc rebellante, stylus ipse fatiscit, penèq; excidit manu. Nouo, & breuiore adhuc genere compendij vtar.

Quot pericula, quot infortunia, quot humanae fraudes, ancipitesque casus, quot etiam consiliorum remediorumque formae in tali tempore, talique malo, tantoque populo, tantis etiam Reipublicae opibus esse potuerunt: totidem in tabulario Ciuitatis reperiri decreta, edicta, monita, litteras, commentariosque publicos, publicasque consultationes, & liberalitates, & magnos Generalis Concilij prouisus, tum ad depellendam, diuina simul, & humana ope pestem: tum ad plebem in ea calamitate sustentandam, tum vero etiam ad coërcenda interim hominum scelera, licentiamque fraenandam. Atque diligentia Procerum haec totis sanè mensibus spectata est, quamdiu Imperium tantummodo

modò mortis, funerumque manebat: ſed aliquantò maior, attentiorue eſſe coepit, vbi ſeneſcere coeperat, ac remittere malum: Edictaque temporis eius, indicio eſſe poſſunt, auctam vnà cum ſpe ſolicitudinem etiam fuiſſe, ne muneri, clementiaeque diuinae deeſſent, quae iam cladi finem daret. Sic fere nobis Acta Ciuitatis edita ſunt ab Secretario Eccleſia, filio Secretarij Iacobi, qui confecerat reliqueratq; Diarium. Nunc & ea referam, quae apud Tribunal Sanitatis decreta & acta fuiſſe reperi, vel coniuncta iſtis, vel mixta & connexa viciſſim.

ACTA TRIBVNALIS SANITATIS.

INter principia rerum, caſuum, calamitatumque tantarum, cùm peſtilentiae nondum in Vrbe ſigna vlla terrorue nondum vllus eius eſſe coepiſſet, cùmque ſecuri Mediolanenſes adhuc & patrio more in delicias voluptateſque ſuas, imò & in ſtudia ſua effuſi, ſicuti dixeram, ſolutique agerent: & fama interim accidiſſet, Caeſarianas legiones, quae ad rem Mantuanam vindicandam aſſerendamque Imperio mitterentur, ſpargere per totum iter contagia, quae Germanicae

gentes

gentes nihil à communibus morbis pro natiua illa ſeculis obfirmata conſuetudine diſtinguunt: iamque duodecim familias ad Lindum noſtro more clauſas ob peſtem diſcretaſque teneri : ob eam famam eoſq; nuntios, Praeſes Arconatus magnopere contenderat, vt ea Ciuitas decreto Tribunalis notaretur damnareturque velut exſors vſuum commerciorumque noſtrorum. Nam quia praeter morboſarum legionum per eos fines hoc tempore iter, eſt Vrbs Lindum ſuſpectae ſemper Germaniae velut emporium, magnopere pertinebat ad ſalutem, atq; ſecuritatem noſtrae Ciuitatis, interdici, edici, promulgarique authoritate publica, nequi homines, quaeue merces inde admitterentur. Sed reſpectu priuatarum rerum, quae, ſicut iam inde antiquus ille ſcripſerat ſemper offecere publicis, & officient, obtineri non potuit hoc. Namque Ciuium noſtrorum praeualidi ac ditiſſimi quidam, ſiue negotiatoribus, ſiue negotijs ipſis affines, interimque pars etiam ipſi Reip. non vltima, obſtiterunt, ſiue ſententijs, & authoritate ſua, ſiue per alios, quorum opera Tribunal vtebatur.

Medici Conſeruatores magnopere ſuaſerant, vti fieret; ſaltem donec deferbuiſſet

aeſtas,

aestas, cuius calore nudaretur semper retegereturque pestis, si qua alicubi latitaret. Vbi viderunt irrita sua monita, nec Philosophiae decretis inter potentiorum emolumenta esse locum, egêre saltem, & tenuere, vti certus homo mitteretur in ea loca qui perquireret cognosceretque & perscriberet in Vrbem omnia de statu rerum: quo passu pestilentia progrederetur, quosue sensim ipsa gradus explicaret, & quae itinera posset inuenire in Prouinciae nostrae fines.

Missus in id à Tribunali fuerat Iulius Vimercatus nomine, strenuus, fidus, audax, cuiuslibet periculi contemptor, dummodo, commendationis, & laudis, & spei, & praesentis emolumenti nonnihil etiam ipse haberet atque reportaret: obijtque cuncta, & collustrauit, atque perscripsit, nullo omisso aditu, nullaue pestilentiae latebra, quò non, & vti curator patriae ac legatus, & publicae salutis vti speculator quidam accessisset. Retulerat iste cuncta prudenter etiam non modò accuratè: sed ne decreta siue edicta ex eius relatione ac litteris opportuna fierent, praeualuere nobilium, vt dixi, mercatorum artes, quibus conditio temporis dabat, vt veris immisceri nobilibus possent, quiue etiam clari

genus,

genus, pleni diuitiarum, animo insatiabiles, & traijciendi semper aliqua necessitatibus, at q; consilijs illigati in longum erant. Horum violenta palam, siue per occultum authoritate effectum est ne periculosi illi ex Germania traiectus tollerentur statim, atque inhiberentur, sicuti oportuerat, ac sicuti Medici Conseruatores censuere. Tesserarum quoq; vsum rem à Praeside Rhaudensi anno 1628. vtilissime, ac saluberrime institutam disturbauere isti, ac sustulere. Ea fallacia Tribunali obiecta est, cùm adhuc Germanicus ille exercitus, vnde timebatur aderatque pestis in ancipiti esset expectatione, & fama, quonam iret. Vt verò descendere paulatim, & flectere huc, & captis in Rhetia, positis, communitisque castellis, propior iam propiorq; fieri: Edictum à Tribunali est, ne qua coemptio fieret vestium, vtensilium, vasorum, rerumue aliarum, quarum praedam eae legiones egerant è pagis, atque municipijs in quibus nota iam strages, & praeda pestilentiae erat: grauesque exitialibus eiusmodi rapinis aduentabant, & vt cuique militi aliquid in manibus erat, quaerebat vilitate emptorem. Ita vile edictum fuit, ac mercatu illo mortis, compendioque pernicioso,

cioſo, multi ſeque, & alios, patriamque polluerunt vltro euntes ad ferales illas nundinas cupidine lucri.

Agitatum antea fuerat in Generali Conſilio Ciuitatis, apud Tribunal, apud Senatum, apud Quaeſtores Ordinarios, & inſtantius vehementiuſque hoc tempore actum eſt, vt ſi minus vitari poſſet Germanicarum Legionum hoc iter per Prouinciae loca, moraque damnoſior itinere: at certè nauibus deuectae per Larium acciperentur: vnde periculi minus terris, & minor occaſio praedarum auido, diſſoluto, & barbarum in morem efferato militi futura erat. Sed Comenſes, ſicuti fama fuit donatiuo quodam vitauere id incommodum: hómineſque domini, & arbitri negotij eius, ſicuti fama fuit, accepto congiario quatuor millium aureorum nummûm à Procuratore Coloniae viam inuenere qua Lacum magna ex parte exonerarent. Ac ſi nauibus vti ſtatutum fuerat, & faciliore compendio itineris, & minore Prouinciae damno deportarentur, edita, praeſcripta, diſpoſita omnia erant, quae ſi ordine facta ſeruata fuiſſent leuior foret peſtilentia inter ipſos: leuius parciuſque impertiretur alienis: neque foedaſſent atque laceraſſent altera

tera rapinarum & licentiae peſte populos quacunque tranſierunt.

Ab Valle Solida per Margutij vndas intrarent, ſicuti fuerat nauigatio deſcripta, Verbanum: Ticinoque Papiam: inde per Padum, quà poſtea placeret ad expeditionis loca deuenirent. Alia nauigationis via proponebatur ita ſcilicet, vt à Belintione ad Magadinum imponerentur in naues: tertia fuit haec, quae obſepta & intercluſa pondere argenti eſt, vt ab Vulturena Valle Larium ingreſſae legiones quatuordecim inde millium traiectu Verbanum inirent, tenderentque ad Lauenum: ſiue etiam vt permenſae flumen Abduam tenderent ad Padum: ad Caſtrum nouum, ad Abduae fauces: inde quacunque ducerent Imperatores Duceſue: & praefecti earum.

Ab vtroque Tribunali, ab Senatu, & à Magiſtratibus Vrbis excogitatum ita decretumque fuit. Vt autem ſpreto hoc, & commutato itinere, latrocinijs, incendijs, & omni ſaeuitiae genere, vltra militarem quoque modum omnia peruaſtarunt: & inflammato Colico, direpta Valle ſaxina, Briantaeis Orobijſque ſpoliatis, & toto Abduae gyro, qui dicitur, crudelius infeſtiuſque

depo-

depopulato, quàm ſicuti barbari quilibet hoſtes inuaderent, veſtigia ſimul, & ſemina peſtilentiae, vnà cùm barbarico paſſim hoc inſultu relinquebant: tunc noua quotidie decreta fiebant, & noua ſed parum profutura Tribunalis edicta promulgabantur.

Ad x. Cal. Nouembris anno 1629. cùm indicatum à Protophyſico Septalio denuntiatumq; Tribnnali eſſet: Cluſium pagum Leucenſis agri vltimum, quà confinia Bergomatum ſunt, haud dubie laborare peſtilentia: decemque agreſtium illorum tuguria infecta eſſe: cùmque ſimiles ab Colico, & Bellano nuntij veniſſent, ac ſcripſiſſet ab Leuco his congruentia Medicus quoq; Maruelus: cenſuit Tribunal idoneum hominem ad ea loca eſſe mittendum, qui inſpiceret ſine mora, & referret. Ciſerus quidam miſſus eſt: eiq; mandatum vti Nouocomum ex itinere profectus aſſumeret inde medicum, quò certius cuncta cognoſcere, & referre poſſet. Retulere, nullam in ijs locis eſſe peſtem decepti ſcilicet à medicamentario quodam tonſore, qui artem circum ea loca factitabat.

Affirmauerat namq; ille: mortuos quidem eſſe nonnullos: ſed cauſas repentinae mortis, aut ex vligine locorum, aut ex militaribus

iniurijs,

iniurijs, quas in Germanorum transitu perpessi fuissent: & humani corporis fortuita multa esse quae pesti assimilarentur. Paucis post diebus, cùm allatum esset, pagos etiam alios quotidie infamari pestilentiae suspicionibus, accidereque mortes ibi subitas, & vbi accidissent, pauorem sequi, fugamque caeterorum: intremiscere vicina, &, qui siti longius essent, versari in pari solicitudine ac metu: decretum ab Tribunali est, vt supplicaretur Deo Opt. Max. in cuius sinu ac potestate Maiestatis esset, & malum depellere si iam serperet, & prohibere, ne oriretur.

Inde Alexandrum Tadinum elegerunt, qui praeter sapientiae ingenijque laudem, etiam rerum vsu ac dexteritate, & socia natalium fide emineret. Hunc appellauere, vt ad caetera sua merita in Patriam adderet hoc. Iret suscepta libenter peregrinatione inspiceretq; omnia toto quantum spatio Germanorum agmina tetendissent, ac scriberet subinde ad Tribunal, quaenam integra, quae malo contacta loca reperisset. Adiunxere ei Vicecomitem Auditorem: & vtrique viaticum ac necessaria cuncta decreuere. Ad IV. Cal. Nouembris profecti ex Vrbe, quanta maxima poterant celeritate percurrerunt atque obiere

Laus Viri.

re Larij lacus omnem oram : Saxinamque Vallem : collesque Briantaeos, & Abduae fluminis Gyrum.

Quarto die postquam exierant, scripsere ad Tribunal litteraeque eorum recitatae sunt, tristia omnia afferentes. Vt Olsiniatum in Briantaeos, appositum Abduae flumini pagum atque inde Galbiatum venerint, homines reperisse illos velut in peste manifestà trepidantes inter se, &, aut separatos abdicatosque à caeteris, aut in syluas, in nemora proiectos, siue vltro abeuntes, ne corriperentur: interimque plena omnia egestatis ibi & squaloris: ac ni propere subuentum sit, adeò miserabiles & destitutos esse paganos, vt pestem, si non haberent iam, ipsi facere possint. Haec priora esse loca, quae adierint, vbi substiterint: paria & de locis pagis municipijs vlterioribus audiri: ac subinde scripturos, vt quoquò obuenissent: opus esse chirurgis, medicis curatoribusue caeteris, ne tam infausta principia exitus peiores darent.

Ad IV. Idus Nouembris audita relatione edixit Tribunal, edictaque dimisit, ne qui locorum eorum aliter quàm pro pestilentibus, haberentur, ne qui reciperentur: tesseraeq; illae institutae primò, deinde omissae, grauiore

edicto

edicto ſancitae, quod deinde edictum ob poenas appoſitoſque cuſtodes obedienter & accurate ſeruatum eſt.

Confecto deinde reliquo itinere legati viſis, cognitis, conſtitutiſque omnibus, & quocunque venerant ad peſtilentes trepidoſque in nouo malo, & laborantes variè paganos, prouiſa illic & relicta de publico omnium rerum ope quae neceſſaria foret, rediere in Vrbem, & ingreſſi ad Tribunal, renuntiata legatione, certam & manifeſtam & vicinam iam Vrbi peſtem haud ſine audientium gemitu repraeſentauere. Dictum eis mandatumque eſt: ad Gubernatorem quoq; accederent exponerentque eadem, ſicuti fecere. Rurſuſque Tribunali renuntiauerunt: diſplicuiſſe Gubernatori audita haec, vehementerque eſſe commotum: ſed belli grauiores eſſe curas.

Cùm omnia expoſuiſſent, tradidere Tribunali relationis etiam ſuae litteras: mandatumque eſt, vt in Acta referrentur, eſſentque in tabulario ad perpetuam memoriam monumenta amplexa originem & initia cladis. Continent deſcriptam velut in membrana faciem ſtatumque terrarum, quas adiere legati, caputque legationis ipſe Tadinus non

medico

medico tantùm ſed & hiſtorico quodam munere in ea peregrinatione egregie defunctus, delineauit ardua, plana, valles, ſinuſque varios, & lacuſtres oras, quà terrae alluuntur aquis, quàue ſquallent & rigent: quà flumina, viteſque & horti, ſeu hortorum inſtar ſpatia camporum: quà ſaxa tantummodo & rupes, inſidenteſque rupibus montani maiora pariter, & minora domicilia agreſtium, tuguria, turres, palatia, caſas: quot quaeque loca familijs cenſerentur: quid aperti & opportuni ad peſtem, veluti hoſtem accipiendam: quid etiam muniti & abditi & ſecreti ab contagione proximorum haberent. Atque geographia ſanè peſtis haec illa verò accuratius etiam, quae magis propria delegati muneris fuere: quas miſerias, quae ſtabula paganorum vidiſſet incubantium nempe ſectulis paleiſue ijſdem, quae paedore adhuc & illuuie Germanorum calerent: quae demum remedia & fomenta omnibus dediſſet: quas leges atque cautiones aduerſus exitium illic haud dubie naſcens, quos homines ad curandum, quaeue adiumenta reliquiſſet, vt adhuc intacti ſubuenirent ijs qui iam foedati & demerſi tenerentur: vt illis ipſis alia ſubſidia ſuppeterent vbi incidiſſent in calamita-

tem

tem egeſtatemque eandem : vt demum cadauera etiam, quae paſſim immiſta viuis, & afficiebant tetro odore adſpectuque ſemper terribili hos, & ipſa carebant vltima ſub terram quiete, mandarentur humi, & procul ab oculis ablegarentur.

Ex agris, vallibuſque, & syluis haec ad Tribunal delata primordia mali tanto moeſtioribus animis Principum accepta fuere, quanto magis alienum atq; ſecurum id anni tempus. Nam peſtilentia velut aeſtiua mala auis eſt. Hyeme fere deliteſcit monſtrum, abditurq; frigorum cauernis vt ſuo mox tempore erumpat, atq; attollat vna cum ſole caput. At intra moenia ipſa Vrbis, tempore eodem confeſſa tacite, & minitata quid aeſtas ventura pararet ac ferret, aderat, ſtetitq; intra capita quinque: quos caſus non intellexere Principes: & errorem nihilominus etiam hunc ſuum referri voluere in Acta, vt documento poſteris eſſet.

Tulerat quaſi primitias & prodigia hyberna vrbanae peſtis Locatus ille initio operis memoratus mihi. Fuerat hic in aeſtiuis ad Leucum miles, & cupidine veniendi in Vrbem cum teſſera adulterata intrarat. Venerat collum tergaque onuſtus atque etiam

indutus,

indutus, & aggrauato toto corpore vestimentis, quae coempta nuper ex media Germanorum peste superinduxerat sibi, & ferebat id vorato iam quaestu mercimonium in Vrbem.

Mortuus in xenodochio maximo Vrbis, sicuti dictum est, quotquot attigerant hominem steterantue circa eum, affecit: & aut periere etiam isti, aut conflictati febribus acutis igneisue bubonibus aegre euasere. Primus igitur hic pestilentiue casus inter Tribunalis acta extat: consignarique ita placuit. Mortuae deinde sunt, aut mortis signa bubones, & carbunculos praetulere mulierculae quaedam ex familia siue contubernio hominis, qui Columna vocitabatur cognomento, & in proxima aedium parte habitabat, vnde prodierat miles. Harum cremari vestimenta, lintea, mundumque muliebrem iussit Tribunal. Nam pleraque à milite acceperant. Et quia compertum postea fuit: in mortis metu misisse ipsas ad proximam S. Rochi Aedem aliquid vestis rerumq; aliarum, vt propulsatori pestis Diuo vota siue dona suspenderentur: mandatum ab Tribunali est, vti tollerentur inde, & conijcerentur in eundem rogum, ne scilicet intempestiua illa feminarum pietas noceret contactu transderetq;

ad

ad Populum è ſacrata ſede illatam hanc ex Germania peſtem.

Ad IV. Nonas Nouembris venere in Aulam ſenex Septalius eiuſque filius Senator nomine, quem pater erudierat atque inſtituerat omnino ſibi futurum nominis & Artis heredem, ſed non diu poſtea ſuperſtes fuit, & Alexander Tadinus, qui connexus vtrique familiaritate & amicitia ſtudijſque ijſdem, & amore erga Patriam, vnam quaſi cum eis domum vnamque ſcholam efficiebat. Venêre confuſo vultu, & expoſuere, Portae Vercellenſis obſcuriſſimam vnam eſſe domum, cui caput Bernardus Bellanus ſcrutarius, & proxeneta quidam. Ad eum diuertiſſe conditione etiam obſcuriore ſatellitem, qui ab Merato municipio quacunque de cauſa profugus, coemptum de Germanico vno milite colobium habuiſſet. Hunc ſtatim correptum eſſe febri: nec durauiſſe vltra biduum. Apparuiſſe in mortui tergo vibices atros, furunculoſque conſimili colore nigricantes. Et mox proxenetam hoſpitem ſimili letho abſumptum eaſdem praetuliſſe morbi peſtilentis notas.

Feminam inde, quae moribundis illis, ob pietatem, ſiue mercede accepta, adeſſe, & miniſtrare non recuſauiſſet, contagij manifeſtam

feſtam cecidiſſe inter aliarum manus. Lactentem ex eadem domo infantem inter vbera quidem, ſed peſte haud dubie vulneratum expiraſſe. Catharinam anum, & filiam eius, & filium occubuiſſe omnes ob commune contubernium, ob colloquia, & neceſſarios ſub paupere tecto contactus. Clariſſimi medici treis ingreſſi ſimul quo dictum eſt die talia retulerant: cenſuitq; Tribunal attentius iam atque accuratius eſſe praeparanda prouidendaque omnia aduerſus peſtem, quàm factum antea fuiſſet: ſubibatque iam annus, qui totam Vrbi cladem ferebat.

Huius anni principio, cùm ab duabus ex diuerſo Portis, Orientali nimirum, & Vercellenſi, pari paſſu incedere per Vrbem ac ſerpere peſtilentia coepiſſet: cenſuit Tribunal diſponenda apud Lazaretum eſſe omnia opportunè, quae ad aegros ſubinde accipiendos diuidendoſque per tuguria pertinerent. Et quia loci Valetudinarijque eius diſciplina iam inde à Franciſco Sfortia conſtituta & deſcripta extabat, rogauere Conſeruatores ſuos medicos nempe Tadinum & Septalium Protophyſici Septalij filium, vt, & capita ſingula recognoſcerent, adderentque, & mutarent, ſi quae mutari, demi, addi praeſens

con-

conditio temporum ac rerum poſtularet : & caput vnumquodque fuſius clariuſque populari lingua, quae ab infimis etiam humilibuſq; miniſtris intelligi poſſet, explicatum probe haberent apteque ad eos vſus, eamue neceſſitatem, cuius adeſſe tempus apparebat. Id curae Conſeruatoribus fuit : & ea capita, leges, & inſtituta ſingula veteris Lazareti explicauere ſtatim atque retulere in tabellas.

Referebant deinde quotidie medici Conſeruatores ijdem, & apud Tribunal quotidie conquerebantur, nec ſibi fidem, nec authoritatem eſſe decretis ob vaecordes in hoc peſtilentiae negotio, non modò plebis, ſed nobilium quoque multorum animos, qui rem eſſe confictam crederent ferrentque ſermonibus, exſibilarent ſimul atque exploderent, & pro patriae hoſtibus haberent ſententiae alterius authores. Nuper penè lapidatum eſſe Septalium & conuitia dicta factaque grauiſſimo & venerando & innocentiſſimo ſeni.

Tadino inſultaſſe tonſorem vnum, & in eius caput concitare voluiſſe alios, qui superuenerant ibantque via. Medicos profectò minores, vel peregrinos Vrbis, ac proinde ſine amore, ſine ſenſu erga patriam alienam, vel indigenas quidem, ſed maleuolentia corruptos

tos atque aemulatu aduersus Collegium, quò non reciperentur ipsi adhuc, tumultuari, fremere, infringere quantum possint, & euertere decreta Tribunalis, consilia Conseruatorum, & hoc velut inane nomen, inanemq; Magistratum spernere simul, & irridere, & insectari. Socios hisce fieri collegasque temeritatis, non tonsores modò vilissimos, qui ab capillo & barba flecterent ipsi quoque paulatim ad medicam artem, & auderent vulnera curare manu ferramentisque ijsdem: sed iustos quoq; chirurgos, qui, sicuti propiores, ita & amiciores arti esse deberent.

Hos igitur vno agmine omnes irruere & vadere acriter in pestilentiae assertores & monstrare plebi, monstrare nobilitati, veluti carnifices, si minus corporum, certè animorum, quippe qui moerorem luctum imaginationemque mortis, & excidij publici inferrent, & pestem verè hanc sententijs creare suis vellent, atque creassent iam penè apud multos. Censuit Tribunal, ac fecere Conseruatores, vt, quoniam argumenta caetera, ludibrio essent, ipsaque etiam pestilentiae fama eluderetur: at argumento certè vno, quod apud stolidos iuxta & prudentes efficacissimum foret, approbarent rem: increparent

rent ſimul confunderentque animos.

Suberat dies, quo die viri feminaeque & plurima in equis ac rhedis ſuo more nobilitas & feriata ab operibus multitudo, populuſq; vniuerſus ad Gregoriana ſepta vadit agminibus ab lucis exortu ad noctem vſque continuatis, ex quo ſcilicet ſepulta illic priore peſtilentia ſuorum oſſa reuiſere ſic & expiare ac propitiare ibi manibus Numen, inſtituêre ſuperſtites cladis, perſeueratque poſteritas haec: & cum luxu etiam velut in pompam ſpectaculumque illuc itur.

Hunc diem elegere Conſeruatores, vt nimium lugubri ſpectaculo tamquam argumento firmiſſimo confutarent quicquid illud, ſiue ab vaecordia inſita, ſiue quodammodo fatale diuinitus ſederat animis. Impoſita in carros cadauera quae dederat eo die peſtis etiam numeroſiora ſolito tranſuehi praeter ora oculoſque tendentium ad ſolenne, ſiue redeuntium inde, iuſſerunt: quaſi fortè portarentur ad foſſas, & excauata inibi ſepulcra, ſic vehes onuſtae ibant.

Tunc dolor, gemitus, & ſublati altè clamores diuinae miſericordiae opem expoſcebant: renunciatumq; Tribunali eſt, ea ſpecie obiecta oculis haud parum profectum eſſe ad

id,

id, vt rei numquam adhuc ſatis creditae nonnulli etiam antea increduli aſſentirentur. Decreuere, opponendas in ſubalpinos eſſe cuſtodias, ne altera etiam ab Suſa & Pinarolo barbaries poſſet huc peſtem tranſmittere, quae tanta iam aderat nobis, vt tranſmitti hinc ad eos poſſet. Cum capitis proſcriptioniſq; minis edixere, ne qua coemptio eſſet veſtium, ſcrutorum, & aliarum eiuſmodi rerum, deterriti videlicet caſibus, & morte eorum, qui ex ſcrutarij Bellani domo talia mercati fuiſſent, habuiſſentue.

In tantis aſſiduè vrgentibus curis, quae ſuper alias aliae quotidie oriebantur, grauiſſima cum dolore & indignatione erat cura de hominibus, qui regionibus, municipijs, portis, in Vrbe, extra Vrbem appoſiti cuſtodes arbitri moderatoreſque rebus caſibuſue quotidianis, immodicè abutebantur eo iure, ac poteſtate, neque Magiſtratum ibi, ſed Imperium tyrannidemque exercebant. Erant homines, qui, vel decoxerant fortè olim, & negotij alicuius publici indigebant: vel ita abundabant diuitijs, vt eas augere immensùm, & hiſce patriae malis creſcere etiam altius ipſi deſtinaſſent: vel demum aſſeclae famulique talium, quaererent ab aliqua re-

rum

rum procuratione ſtipem, producebanturque ad munera, quaſi per heros iſtos ſuos, & diuiſum cum eorum auaritia ſiue cum paupe-rie ac neceſſitate quaeſtum habebant.

Alius eorum, adſimulata pietate quaſi patriae pater: alius quaſi magnitudine opum, & ingenij feruore validus ad imperia obtinenda continendoſque in officio populares: alij velut operarij miniſtri mandatis per induſtriam & laborem ad exequenda omnia prompti adſumebantur capita exitialia furiarum inſtar & ſimillima peſti, tolerabanturque iſti ob penuriam fugamue meliorum.

Fuit è ſuperiore illa claſſe decoctorum, ſiue diuitum atque praepotentum, fuit qui ex vacuis iam aliquot dominorum morte aedibus iuberet ad ſe deferri quicquid pretioſi, quicquid etiam in aliquo domeſtico vſu expetitum, aptumue reperiretur: atque è tectis illis, quà, vel abſtuliſſet peſtilentia poſſeſſores, vel terrorem expectationemue ſui feciſſet, congeſtos haberet apud ſe torques annulos, aenea ſtanneaque vaſa, lintea, ſubuculas, haec & alia quaſi conſeruaturus, vti reſtitueret, re vera, vt conſeruaret ſibi retineretque praedam.

Horum importuniſſimos atque rapaciſſimos exau-

exauthorare & remouere à munere, non quidem poterat ſtatim cognito latrocinio Tribunal: ſed dato ſpatio quodam & quaeſita opportunitate obtentuque nonnullo remouebat: & ipſa peſtilentia ſubmouerat punieratque commode aliquem. Decretum poſtea factum eſt de minuendo in vniuerſum numero iſtorum, quibus delegata munera veluti cum imperio prouinciaeque mandatae peſtilentes erant: & quò pauciores iam iſti erant, eò commodius procedebat res vt in malis, minuſue querelarum deferebatur ad Tribunal.

Medici chirurgique multi cùm mortui eſſent, & vix iam reperirentur in claſſe hac, ſiue in illa qui defungi poſſent aut vellent, ſiue ſecandum curandumue aliquid eſſet manu, ſiue purgationis cauſa praeſcribendum: decreuit Tribunal, & praemijs inuitandos qui in Vrbe reliqui eſſent huius geminae Artis, & ex vrbibus lociſue alijs quantalibet propoſita mercede conducendos.

Decretum de purganda quadraginta diebus Ciuitate, parum commodi, plurimum verò perturbationis atque malorum etiam ad incrementa ſiue alimenta peſtilentiae attulerat. Nam, & integri ſiue conualeſcentes tabidis adhuc & ferentibus intra viſcera morbum

periculosè

periculosè associabantur: & vitato maiore Lazareto, apud minora illa per singulas portas excitata, tamquam in ganeam popinasq; ibant vtriq; pariter, assurgentes nempe iam è malo paulatim, & demersi implicitique alij tabe eadem. Ibi deinde per bacchanalia quaedam & ludos, & per omne lasciuiae genus foedabantur ipsi foedabantque alios, &, aut moriebantur ante experimentorum finem, aut experimenta ipsa in perniciem sibi verterant. Aduersus id incommodum nihil remedij Tribunal explicabat, nisi vt dissolui & euanescere decretum finerent, sicuti pleraque alia, & decerni, & negligi contemnique, & qui contempsissent, impunitos contemptosque relinqui necesse fuit illic vbi proprie regnum & imperia tantummodo mortis rata validaq; essent.

Illusit deinde Tribunali casus improuidus, siue potius improuida spes & semper coeca cupiditas ad ea etiam facillime credenda, quae flagrantissime expetuntur. Muliercula vna fuit, quae ab Verbani lacus pago profecta in Vrbem stimulante materna cura ob filium addictum fortè triremibus, adijt Tribunal, exposuitque: aduersus pestem remedia esse sibi inenarrabilia quaedam, haud dissimulans,

mulans, quòd, & peritia naturae rerum, & munere diuino, & arcanis denique modis, de quibus nihil vltra effari sibi fas licitumue esset, reperisset ea & teneret. Si sibi filium, si filio matrem restituerent, spemue restituendi facerent, ingressuram extemplò Lazaretum, atque ibi promissa quae afferret, confirmaturam statim esse rerum fide.

Ingressa & admissa illuc, depromebat sanè pulueris & herbarum aliquid, verbaque etiam nonnulla super aegrotos haec medicamentaria mulier mussitans atque perplexè pronuntiabat: sed facilè animaduertêre qui attendebant, comminisci eam vltro voces obscuras illas, neque herbis aut pulueri virtutem inesse salutiferam vllam: damnumque insuper & perniciem in eo, quòd, vt mouisse vtique aliquid & effecisse videretur, dederat ea, quae corpus exhaurirent in mortem: expirauerantq; nonnulli inter eius manus. Haec muliebris fallacia imposita Tribunali grauissimo erat.

Egêre deinde apud Senatum, vt quoniam praeter capitalium criminum reos, plurimi etiam ob aes alienum nexi vinctique carcere attinerentur, ibique in sordibus & squalore multitudo ea contabesceret, atque iam essent mortui multi, demerentur vincula sic vinctis, laxa-

laxarenturque custodiae, & sine mora dimitterentur quicunque dimitti possent. Senatus censuit eligendos ex eo Ordine, qui cognoscerent controuersias, litesue singulorum, crimina quoque & causas, & arbitratu suo soluerent retinerentue vinctos. Per treis mensses ob aes alienum prehendi duciue in vincula vetuere quemquam.

In extrema hac & permixta è varijs casibus parte operis non exigui solùm & funesti, sed etiam penè sordidi, certè humilis atq; abiecti, dum humilia pleraque & leuissima dictu, quae vix recepisse siue respexisse Historia dignata sit, admittimus vndique, & prout ad manum venêre, siue sub calami apicem vltrò successere narramus, ne illud quidem quod in publicae salutis cura prouidêre proceres nostri, abdicasse repudicasseque debuimus. Opificium & emolumenta simul circa sordes spurcitiasque bombycum, vnde nascitur hic quo superbit & fulget nobilitas tota, splendor fastusque vestium, aemulator idem, & socius auri, respexere non leui cura. Viderant censuerantque, si vermium haec foetura, & ex foedis adeò animalibus adeò quaestuosa officina & quasi mercatura naturae prohiberetur, eripi sua alimenta populo, tum vrbano huic, tum rusti-

rusticano alteri, cùm per omnes agros, apud omnia rura tam auidè expectaretur eius mercimonij tempus, & vbi aduenisset, tantis adlaborantium vtilitatibus exerceretur. Sed infici aera tetro odore ingrato atque odioso operis etiam, quae coquere, & excernere illa assuetae, compendij spe insuper, aut praesenti mercede minus sentirent.

Ideo, licet in commune edictum fuisset ne hoc pestilentiae anno ratio vlla sementis eius haberetur, adhibuere ei edicto modum, atque edixere rursus, & praescripsere, quomodo fieri posset, & quae cautiones forent. Ne intra municipia, neue intra pagos ipsos, sed tantùm ad villas & separata mapalia, tecta, casasue fieret, nisi si tamen ea mapalia tecta villae casae iam infames ob aliquem pestilentiae casum essent. Si quis è municipio vel pago vel etiam ex Vrbe ipsa, colono & operario alicui sementem vti fit cum dimidia parte fructuum dare vellet, fideiuberet eius nomine prius nihil contra leges & praescripta facturum.

Strata lectuliue bombycum & quicquid illud postquam ad opus abiere, subsedit, in agrum, in aperta loca, procul à tectis agricolarum sedibusque portaretur. Fierent crebri interim ibi ignes, addita lauru, iuniperoque,

& alijs

& alijs eiusmodi fruticibus herbisue odoratis, quae nusquam desunt. Sed & caudices sarmentaque vitium ad id fore vsui. Tum verò, ne qui intra cubicula eadem vbi essent alerenturqne bombyces, haberent sibi cubilia, cauerentque, ne inter odores eos perniciosè sopirentur: leuissima sanè & minima haec apud quotidianos vulgaresque politicos: sed neque leuia neque parua iuditio atque aestimatione aliorum, qui meminerint ab Grecorum sapientissimo scriptum ita fuisse olim. In verbo etiam vno, siue in motu corporis opportuno aliquo tantùm, siue in nutu, in significatione sola oculorum, vim inesse maiorem, ad sapientiae animique magnitudinem indicandam, quàm in multis magnis egregijsque factis.

Ac sicuti sapientissimus item alter è nostris, qui Romanorum facta condidit, dixerat, per illa minima, quae interdum ipse narraret, creuisse id Imperium: ita per haec minima, quae sic excogitauere Proceres nostri, & instituêre, stetit post opem misericordiamque diuinam, ne tota periret peste Ciuitas: ne ager hic vniuersus, & vniuersa per agros rura conflagrarent malo eodem.

Erratum & in alijs rebus, sed in eo praecipuè est, quòd duas Portas Vrbis, Orientalem

atque

atque Ticinensem, ab communi commercio separare ac dirimere cùm debuissent principio proceres, neglexere id ingenti damno sicuti dictum à nonnullis creditumque fuit. Si clausissent, damnassent, & damnatam in pestilentiae metu portam vtramque custodiri iussissent, sperari potuerat, infrenato ita obstructoque in Vrbis interiora aditu, haesuram fuisse in limine pestem, & velut reiecto à portis hoste omnia deinde in tuto. Id dictu, quàm re facilius fuit. Haud ambiguum certè hoc: sicut ab Orientali, Locatum militem, ita ab Vercellensi porta fuisse cum hospite suo scrutarios, qui primi semina pestis intulere in Vrbem.

Eius, vel non intellectae, vel omissae rei tota culpa collata est in vnum, cuius in publico consilio sententia non in eo negotio tantùm damnosa fuit. Etiam ille lauacra sustulerat, quae apposita fluentibus extra Lazaretum vndis, eluebant simul auferebantque sordes, & perpetuae scaturiginis opportunitate fruebantur: contenderatque & tenuerat, vt alia lauacra instituerentur apposita stagno, quà scilicet resides & putrefactae aquae, tum corruptae suapte natura, tum ab illa immunditiarum eluuie corruptiores, continerent verè exhalarentque pestem. Reperi in aduersarijs codicibusque

cibuſque rationum, quatuor millibus aureorum nummûm ſtetiſſe Reip. id opus. Ita violentus ignaruſque homo naturae rerum, tanta illa mercede impendioque publico nihil emerat aliud, quàm vt augeret, ac proferret, nutriretque morbum.

Non ſumus profectò homines nos, qui temerè interpretari diuina iudicia velimus, ac temerè in irarum iudicijque noſtri partem euocare ſupremum impenetrabile inenarrabile coeleſte illud, ſi quid fortè diſpliceat nobis, ac ſi fortè offenſi aliqua mortalium leuitate vitioque & culpa fuerimus.

Caeterùm tamen, notabile hoc admirabileque euenit, vt, & probus improbuſue ille nobilis, qui procuratione Reip. ſuam gerebat, quiue gerere volebat vtramque, nec poterat, aut ſciebat, & huic addicta cohors Commiſſarij, miniſtri, curatoreſue nonnulli, qui deliquerant admiſerant peccauerantque multa, caderent grege vno & perirent. Primulduſque, & Confanolerius, & Pontinus apparitor, qui, empto, dein vendito peſtilenti linteo cauſam initiumque praebuerat, vt ſeptem millia mortalium perirent, & alij nominum culparumque ſimilium homines, cum ſua quiſque familia funditus abſumpti die vno

omnes

omnes praebuere diuinae Iustitiae exemplum.

Non explicare est, quale virus, & quanta atrocitas fuerit pestilentiae huius: cùmque, si nihil aliud, certè vacua penè facta Vrbs atque tot memorati casus argumento esse possint: confunditur adhuc mihi animus admiratione & terrore ob vnius sacrae familiae interitum mortesq; repentinas omnium quotquot in ea familia erant: neq; id ab contactu siue congressu vllo, ne ab execrabilibus quidem illis vnguentis, ac venenis: sed tantummodo ab re tam leui, & vana, quàm ipse est fumus. In via Marina celebri propter amoenitatem suam, nec minus ob amoenum ingenium nobilis & lauti viuidique senis, qui aptissimum id spatium iuxta pomoerium Vrbis ad equorum curricula ambulationesque caeteras inuenit monstrauitq; principibus, & accepta authoritate purgauit, auxit, aequauitque ad lineam, vnde & ex conditore cognomentum manet. Ibi, dum vestimenta, plumae, culcitrae, scrutaque, & alia pestilentiae supellex cremaretur horis nocturnis, tunc, cùm verisimile esset dormire omnes, penetrauit nidor in vicina tecta Monasterij, atque inde per fenestrarum rimas ad ipsa Patrum cubilia peruenit.

Postero

Postero die mortui complures eorum: caeteros lentae mortis tormenta vexauere per biduum. Inde par omnium exitus: neq; superfuere ex eo numero, nisi quos pars aedium interior aliqua ab nidore & fumo remotos clausosq; tenuisset.

Inter omnia, quae annus hic, & populi Mediolanensis commutatio haec tulit, nihil reperi adhuc, quod perinde mouerit animum meum, quoue legentium etiam animos perinde moueri posse putem, quàm populi eiusdem pietas semper quidem inclyta & nota adeò propria terrae huius, vt veluti nata hîc & in terras quoque alias diuisa hinc atque proseminata videri possit, sed adeò stimulata & aucta miserijs, vt ad gentes item omnes & nobile & vtile exemplum futura sit.

Praeter suscepta publicè ieiunia, & vota, & sacra, aliaue omnia, queis propitiari potest Numen, ac praeter decretas ab Generali Consilio largitiones Christi Saluatoris nomine ad loca pia, datamque stipem egenis, vt propitiarent haec pietatis opera Saluatorem: praeter haec, quae religio & munificentia natiua Ciuitatis inuenerat feceratque, factus etiam vnusquisq; sibi erat author & magister atque stimulator piorum munificorumque

sensuum

ſenſuum erga res diuinas , & erga omnia, queis moueri creditur Numen , vt miſerias culpaſque mortalium clementer ac benigne reſpiciat.

Ibant ad templa calcantes nudo pede ſolum infelix, os humeroſque tecti ſacco , caedentes terga loris vt manaret vberrime cruor, & illud doloris ac poenitentiae geſtamen verteret in purpuram. Ibant luce palam hoc habitu multi : ſed & nocturno tempore plures. Ibant ignoti ſolitarijque : ſed & facto agmine inter ſe tantummodo noti lacrymas & preces & flagella illa conſociabant, addentes, ſibi verbera quiſque haud ſine certamine quodam, quod inter tenebras ipſi tantummodo ſentirent: ictuſque repetitos ita tamen creſcentemque ſonitum velut accenſis inter eos aemulatione animis, etiam notauere nonnulli , qui ſpeculati nocturna agmina haec, inſiſtere veſtigijs, & ſequi, & adſiſtere cupiuerunt.

Feminae etiam, quò tenerior in calamitate acriorque ad honeſta pariter & inhoneſta omnia ſexus ille eſt, flagellationes & inceſſus eiuſmodi ſuos obibant, ac veluti placamina haec offerebant Deo, & Virgini Deiparae, & Diuis, qui proximi intimique in ſempiterna

illa Aula habentur. Haec in publico: plura & maiora domi intra ſuos quique parietes, & efficaciora opinor ad impetrandam è Coelo pacem excogitabant tentabantque, & Maieſtati infinitae, tamquam obſequia vltima animi pietatiſq; humanae admouere conabantur. Pecunias, quarum amor etiam in deſperatione rerum atq; in exitij metu exuitur vltimus, non quidem vti viles ſibique contemptas adhuc, ſed vti cariſſima & pretioſiſſima pignorum ſuorum offerebant, non ſanè indigenti talium Deo, ſed libenter, vti credere fas eſt, acceptanti voluntatem & animos, quaſi indigeret.

Mulier olim auara, ſenexque tenaciſſimus auri: foenerator ſaeuus aliàs, & impudens, & magni draconis inſtar theſauris incubans: multi nobiles etiam, non illicito quaeſtu, ſed legitima ſucceſſione accumulatas opes ceu decora & ſubſidia domorum antiquarum amplexi: omnis paulò pecunioſior artifex, propola, proxeneta, locuplexue mercator, clericuſue longa ſenecta, vel opulento ſacerdotio diues: hi ſimul omnes: alij poſtea: quidam, vt illico nota res fuerit: aliqui, non niſi cognita poſt mortem exempla edidere, vnde intelligi potuit, proprium in morte bonum

hominis

hominis esse magnanimitatem hanc, quae abdicata omni alia spe, & cura, seque & sua cuncta Deo permittit, imò potius reddit. Vt quisque horum timuerat videratque exitum vitae propinquantem: vt quisque euadere superstesque esse cupiuerat: vt quique etiam abire procul à conspectu malorum, & in vitae alterius oras migrare tandem ibiq; requiescere auebant: hi omnes pro habitu & conditione suae fortunae singuli pecunias tradidere pro sua & aliena salute consumendas.

Tradidere, alius Sacerdoti, cui & peccata confessus fuerat: alius amico: alius etiam inimico si deerat amicus: non nemo Reip. legauit: legauere Monasterijs, Templis, sodalitijsue: deprompsere sacculos: transcripsere nomina: patefecere arcas. Etiam occultata in cauernis inaedificata parietibus monstrauere. Et fuere tamen, quorum sacculi, zonae, ollaeque refertae superstites fierent huic liberalitati dominorum, legarenturque nullis, & inter rudera deinde turpioribus latebris fortè reperirentur, incerto cuiusnam ea pecunia fuisset. Reperi in Actis carmina praecationum, quas aut religiosissimi quique sibi composuerant aduersus pestem: aut Ciuitas ipsa publicè susceperat,

quasi

quasi parum religionum, parumue precum iam esset in Vrbe, qua nulla alia foecundior, neque diligentior rituum & precationum iam inde antiquitus habetur.

„ D. Nicolae decus, & gloria Tolentina-
„ tum: Diue, quem paupertate, & virginitate
„ insignem sibi elegit Deus: cultor, & custos
„ obedientiae Diue, cuius miracula Ordinem
„ Heremitarum illustrant. Cultor & custos
„ Obedientiae Diue, ob cuius miracula & si-
„ gna Ordo Heremitarum claret, famaque eius
„ volitat per ora virûm. At tu tuis meritis à
„ nobis depelle pestem. Id pium carmen tamquam apud alias gentes etiam expertae virtutis canere didicerant pueri mulieresque nostrae.

Multaque eiusmodi, vel descripta, vel impressa per manus tradebantur, atque passim è foribus aedium hae tabellae pendebant. Vnum insigne carmen fuit D. Mariae Virgini Deiparaeque Sanctissimae compositum, quo liberatam peste Vrbem Coimbricam fama erat, transmissumque ad nos publica pietas religiosissime acceperat. Referamque & apponam etiam ego religiose id carmen in eadem verba sicuti fuit.

„ Stella coeli extirpauit, quae lactauit Do-
minum

„ minum noſtrum, mortem peſtis, quam plantauit primus parens hominum. Ipſa Stella nunc dignetur ſydera compeſcere, quorum bella plebem caedunt dirae mortis vulnere. O pijſſima Stella Maris à peſte ſuccurre nobis. Audi nos Domina. Nam filius tuus te honorans nihil negat. Salua nos Ieſus. Haec & alia multa diuinitus auertendae peſti cum humanis quoque remedijs inuenta, & adhibita fuere: & vis auxilij diuini ſuprema deſtinatione latebat in occulto tamquam negaretur, ac tantò poſtea clementior in tempore efficaciorque futura erat.

Haud profectò ij ſumus nos, neque verò eſſe debemus, qui Patriam Patriaeue Rectores vlla vmquam ſiniſtra fama oneratos eſſe velimus. Potius id periculum eſt, ne quid etiam ſuperuacui fauoris noſtris ineſſe litteris quidam putent.

Caeterùm, ſi relinquitur etiam mihi ius libertatis, quo iure propria laus huius veridicae Artis conſtat, haud dubitauerim in id redire, quod notatum iam alibi reprehenſumque eſt. Non intellecta, non credita ſtatim peſtis haec: non prouiſa & extructa tuguria ſtatim: non miſſa protinus in Lazareta multitudo, vt quemque ſigna arguiſſent dam-

damnassentur: sed intra tecta cohibiti clausique scilicet illic vbi supra scalas, & intra impluuium, & subter laquearia eadem, ad quadraginta capita interdum, & alicubi plures, vsibus, & sordibus, & halitu, & quotidiano inuicem foetore contaminarentur: hae causae fuere, cur ne preces quidem ipsae statim efficaces fuerint apud potentiam illam infinitam vnde malo finis parabatur.

Etiam congruens impuneque mihi fuerit deplorasse calamitatem aliam, quae non sine luctu adhuc, imò nec sine pudore publico veluti quaedam in naturam iniuria Ciuitatis audiri legiue possit. Fuere aliquot huius pestilentiae menses, cùm non modò periret haec satura vitae iam & debita vtique morti multitudo, sed futurus alter ille populus, soboles, & spes, & subsidia Reip. recens, editi infantes si perierat peste mater, extinguerentur casu eodem.

Nam, aut recusabant praebere vbera mercenariae nutrices deterritae nempe metu: aut, si defunctae officio erant: vel nouam pestem exugeret ab vbere infans: vel imbueret ipse nutricem. Ita, praeter tot millia ciuium, periere in ipso limine vitae etiam qui nondum gustarant senserantue vitam.

vitam. Et indignior foediorque conditio fuit millium aliorum, quae concepta simul & sepulta vtero corpora inchoata puerperae mortuae iuxta spem partus abstulere secum. Ac licet non sentirent isti mortem: sensit tamen postea Resp. damnum, subtracto ita supplemento, quod veluti paratum iam opportunè prodibat. Proceres, quòd non & huic infortunio remedia opportuna parassent, excusabant praeter ipsius infortunij vim, sumptus etiam aliarum rerum immanes, atq; difficultatem inueniendarum in tali tempore, puerperarum, integri, nec vitiati lactis, quae ne sumptibus quidem parari vllis possent.

EX TOTO FAMIS ET PESTILENTIAE TEMPORE REPETVNTVR ADHVC NOVA QVAEDAM

QVOD in magni sui Operis parte praefatur Romanae Historiae princeps, nobis etiam vsuvenit, vt crescere sentiamus pagellas exigui voluminis, quod prima quaeque perficiendo minui debuerat: ac velut ab proximis litori vadis ingressi pedibus aquas, quicquid processimus, in maiorem quasi altitudinem inuehimur. Nec facilè finis exitusue vllus, si pergere velim, atque ex illo trium annorum

turbine colligere, & conferre huc in cumulum aceruumue quendam omnes nouos terribiles hominum casus: omnia infortunia, Vrbis: dominantium curas: noua edicta munificentiaeque nouae publicos conatus: remedia, siue conquisita, & adhibita multifariam, siue praesentia & oblata: neque intellecta coecatis mentibus ab maiore potentia, quae pestem hanc populo immittebat, immissamq; depellere postea volebat arbitratu suo. Sed attingam atque delibabo ea tantùm, quae vel ad exemplum in posterum, vel ad liberalem etiam in re adeò tristi oblectationem, praecipua mihi visa erunt.

Iam primùm igitur in hoc exactae tam ingratae narrationis fine velut noui operis exordio notatum positumque sit hoc: praeter coelestia illa signa monitusque syderum haud quidem vmquàm obseruata nobis, sed peritis formidata semper, duplicesque cometas, alterum anno 1628. alterum anno ipso pestilenti, horrifica vtrumque specie visos, praedictiones etiam in eos annos extitisse fatidicas, antiquas, & famis, & pestis, sicuti, & mala ista euenere. Nec pudor fuerit ipsa posuisse carmina foedata licet ineptorum omnium voce cùm in circulis conuenticulisque omnibus canant homines hoc. Mors, & fames vigebit

vbique. Et illud. Mortales parat morbos: miranda videntur. Ac vidimus, quomodo constiterit Vati fides, & congruerit vtraq; clades reciderit que in suum annum. Verùm nihil commune nobis cum hisce vaticinijs, & professi sumus iam, & profiteri adhuc iuuat. Vaticinium verò longè certissimum, & longè verissimum aliud, vnde mala illa non magis praenuntiata, & monstrata, quàm nata fuere, numeris modisque diuersis includitur, quos, & ponemus, vt in perpetuum memoria extet.

Numerus legionum, quae cum ducibus suis ex Germania venêre in Prouinciam, ac de quibus opinio fuit apud nostros iuxta & alienos, tamquam vastitatem & famem, pestemq; intulissent, ille fuit scilicet. Equites VII. millia quadringenti quinquaginta sex, Pedites XXVIII. millia. Summa omnium XXXV. millia CCCC.LVI.

Quacumq; iter haberent hae legiones, descripta de more manipulatim hospitia militi erant per rura circumiecta itineri, pagosue propinquos. Sed si Gallorum hostiumue quorumlibet exercitus ille esset: non potuit, aut licentia militum, aut fuga paganorum esse maior. Veluti si loca illa per quae habebant iter, diripienda accepissent: ita, vrere, spoliare, praedas agere boum, & iumentorum, rerumue

rerumue omnium, quae abdita in tectis siue defossa sub terram essent. Vbi materia furori non suppeteret haec, inijciebantur vincula dominis aedium, captiuique trahebantur, vano etiam in montium cacumina effugio si fortè ditiorem agrestem vel accola inuidus, vel fama monstrauisset.

Sequebatur namque illuc inexcatus praeda miles hospitemque suum in latebra aliqua repertum mulctabant verberibus, donec iret secum & abdita, defossa illa proderet vltro ipse retegeretque, & extraheret daretque barbaris manipulis in manum. Neque duces obuiam ibant, siue quia particeps etiam ipsi praedarum: siue quia opum, & fortunae magnitudine nonnulli, & obstupefacti atque alienati suis quisque curis, & mole cogitationum, quas ab domo attulerant, clausis auribus vti leuia haec & minora adspernabantur.

Cùmque praegressis turmis, cohortibus, tribunis, qui exempla ediderant haec, alia subinde agmina sequerentur, efferata hoc ipso, quòd abstulerant iam omnia euerterantq; priores, nec fere quicquam reliquerant quo deliniri ac mitigari posset auiditas siue egestas irata noui militis, ereptae sibi praedae dolorem in spoliatos vtique effundere isti vole-

bant.

bant. Inde per continuos aliquot dies vltra quàm tolerare ibi vitam possent in summis iugis, aut in cauo aliquo vallium recessu, familiae totae habitabant, & postquam traducto demum per fines exercitu, in sua quisq; tecta redire audebant, aut ablata cuncta quae potuere auferri, aut fracta, diruta, cremata, dissipata, effusa caetera inuenerunt. Hae per illud tempus toleratae iniuriae damnaque illata agrestibus, non solùm corpora squalore & illuuie & debilitate, sed etiam desperatione & moerore animos affecerant: pestemque profectò si non attulissent hae Germanicae legiones, inducere ita & efficere potuerunt. Id notasse oportuit vt nostri intelligant Principes, quantopere semper in eorum exercituum aduentu excubandum sit.

In Lazareti legibus atque praescriptis & constituta ibi disciplina, praeter ea quae legibus institutisque eis principio exposita fuerunt, fuerat etiam hoc saluberrime & aptissime ad regenda ibi tot mala excogitatum atque statutum: vt è proceribus bini per interualla eligerentur, qui inspicerent ibi tuguria partesq; singulas, & tum pauperum necessitates, tum praefectorum in suo cuiusque munere diligentiam fidemque cognoscerent, atque, tum prouiderent ipsi authoritate sua, tum ad

Tribunal

Tribunal Sanitatis ordinemue Decurionum cuncta referrent.

Medici Conseruatores alternis quotidie circumirent eadem pestilentiae tuguria & referrent. Sacerdotes essent alerenturque ibi, non solùm, qui mysterijs & sacramentis expiandarum purgandarumq; animarum curam & munus in illa tecta pastorale sustinerent: sed etiam, qui hortamentis & solatijs amabiliter ac paterne vnumquemque confirmarent. Circitores essent Curatoresue certi mercede conducti ad id vt diuisis inter se vicibus adirent quotidie Lazaretum, pericula specularentur, casusq; omnes, & mortes, & quicquid poena vel animaduersione remedioq; dignum offendissent, ac referrent cuncta in praeparatum ad id codicem, & cum eo codice adirent subinde Tribunal.

Cloacas, latrinas, & latrinarum instar stabula tectaque pauperum & alia eiusmodi foeda loca per Vrbem inspicienda, purganda, tergenda haberent, ne teter odor ille accederet etiam ad malum, malique alimentum esset. Muneris eorumdem hominum esset, vt quosque, aut intra Lazaretum, aut in Vrbe mortuos subinde inuenissent, non modò adnotasse nomina in codice, sed & cremanda tradere vestimenta eorum, & quicquid circa

mortui

mortui corpus in vſu aliquo fuiſſet : cubiculum etiam tuguriumue eius accenſo illic igni odoramentiſq; ſuperiniectis purgandum curarent. Magis minuſue ſuſpectos, & à ſuſpectis, eos, qui manifeſte infecti eſſent, cogerent viuere ſeparatim, neque claſſium harum homines inter ſe miſceri paterentur. Cuſtos eſſet vnus, penes quem cuſtodia, & cura rerum, quae, aut publicae Lazareti, aut propriae ſingulorum forent : idemque omnia inſuper propria muneris huius obiret ſicuti praeſcripta editaque eſſent.

Longa inde capitum ſeries, & longus ordo, tum praefectorum in partes ſingulas, tum legum in praefecturas, & munera ipſa, queis contineretur, ſtaretque regimen illius languidae multitudinis congregatae in familiam vnam : ſubitque ſatietas iam cùm transferre huc, & deſcribere ſingula cogitauiſſem. Sicuti Vrbem duae obſcuriſſimae domus, nominaque etiam obſcura duorum hominum labefecerant temerauerantque totam : ita non infimi nominis municipia Modoetiam, & Seronum, alioſq; municipali dignatione pagos, parua ſcintilla corripuit ac penè deleuit : cuius etiam paruae rei magnum exemplum duobus caſibus notaſſe haud inutile fuerit ad noſcendos per omnia quaſi mores mali huius,

quod

quod ſemper, vnde minime quis crederet, exit, & vbi per vnum vile caput inceſſit, vi fertur ignea, & aequat ſumma imis, neque cohibetur vlla hominum ope donec cuncta peruaſerit. Rurſuſque ſcintilla eadem, vi alia occulta, in vno conſiſtere capite amat, quod vbi ſtrauerit abieceritque, contenta funere illo, non progreditur vlterius.

Emerat anus vna de Germano milite hybernam veſtem ſuffultam nempe pellibus, ſpurcum, & anceps militaris alicuius feminae geſtamen, etiam ſi peſtilentia abeſſet. Huius indumenti emptrix femina cum Seronum alicunde veniſſet, & mortua ſtatim ipſa eſt, & totum illud haud ignobile municipium reliquit ab foetore contactuque ſuo repletum peſte eadem.

At apud Caſſanum in Abduae ripa quidam, dum emptum de Germanico item milite ſulphurei pulueris ſacculum ſolueret atque aperiret, integer ſanè atque incolumis in pago ad eam diem integro, atq; incolumi, capitis repente doloribus extortus ad inſaniam, fluctuatus aliquandiu & agitatus impulſuſque huc illuc, non totius horae ſpatio durauit, finiuitque tormenta ſimul & vitam. Et fuit quidem poſt aliquot deinde menſes circum ea loca peſtis: ſed caſus ille vnicus atque

ſingularis,

ſingularis, ſicuti terruerat tamquam ingruente per id caput publico exitio incolas: ita mixtam gaudio admirationem hominibus eis tulit, quòd nihil praeterea mali tunc accidiſſet, atque è multis qui ſacculum eundem attigerant, fuerantq; & cum venditore milite, & cum emptore hoc altero in colloquijs, in caupona, in naui, ne vnus quidem tentatiuncula ſignoue aliquo ſuſpicionem metumue praebuerat contagij, quod intra omnium viſcera iam ſuo more & abditum & peruagatum eſſe crediđiſſent.

Contraria his fortuna ad Modoetiam fuit cùm mulier ibi quoque vna thecam & in ea muliebrium ferramentorum aliquid ab Germanicae cohortis centurione accepiſſet. Namque acum inde capiti admouerat ad diſcriminandum fortè capillum, ſiue ob quid eiuſmodi aliud, & exanimata illico eſt. Mortuae circa eam duae, treiſue conſanguineae, ſiue vicinae, & gregales, necnon viri conſanguineiue earum: & nihil vltra tunc damni fuit in municipio ſiue oppido, quod & capere ſtatim ſpectacula omnia peſtilentiae potuerat, & poſtea cepit atq; exhibuit ad Vrbis ipſius penè modum.

IOSEPHI RIPAMONTII
DE PESTILENTIA QVAE MEDIOLANI FVIT ANNO CIↃ DC XXX

LIBER V.

PONAM atque exhibebo in hoc funerum funestarumque rerum fine, spectaculum quoddam, ludumue comparationis, inter hanc pestem, & alias, quae magnis Vrbibus olim, imò, & nostrae huic acciderunt. Comparari namque ista & conferri inter se decet: simul, vt intelligatur id quod initio dixeram: pestem hanc fuisse, grauissimam omnium, cui nempe solidum, ac totum conueniret tam horribilis mali nomen: simul, vt in ipsa talium malorum diuersitate similitudo conspiciatur adeò germana, & congruens omnibus notis, vt apparere possit, & quandocumque pestis oriatur, vestigijs ferè semper insistere ijsdem: & vbi orta fuerit, grassari similibus quoque modis, insaniasque mortalium easdem praebere. Scriptoribus quoque nobi-

nobilissimis renouari gloriae suae partem hac data occasione haud indecorum fuerit.

Incesserat pestilentia olim Athenarum Vrbem: eaque fuit tanta clades, vt scriptorem quoque nobilitarit. Nam, neque narrator erit rerum vmquam alius, qualem Roma Graeciae semper inuidebit, ac ciues expulere sui Thucididem: neque inter monumenta Thucididis, elegantius subtiliusue quicquam ea descriptione morbi habetur. Constatque subtilitas & elegantia illa, non tam ingenio Scriptoris, quàm atroci rerum facie, quae ipsa legentium animos, turbat simul, & delectat, haud aliter quàm sicuti turpissimus in tabula anguis, quò foediore est adspectu, hoc placet magis, atque arridet: oculique noua semper spectacula sibi exquirentes, in eam deformitatem intenduntur, atque defiguntur.

Ita, res simul, & narrator, & tanto scriptori, tantaeque cladi interiectae Athenae, per lycaea, porticusque philosophantium, post tot saecula hodie celebrantur: ac nomen Vrbis illius, haud minus memoria cladis, quàm fama scientiarum & artium viuit. Par ex clade fama & gratia sequitur Liuium, & Syracusas, ex quo, obsessam Vrbem, & robora duorum exercituum ab discrimine conflic-

tuque

tuque armorum ad miſeriam lentae tabis redacta Patauinus ille repraeſentauit. Etiam inter Homeri carmina, pauculi verſus, queis ille cecinit immiſſa militaribus copijs tela haec, aceruoſque mortuorum, & canibus, alitibuſque pabulo relictam gentem, quae tota in armis erat, ſunt legentibus hodie terror, miraculumque, & voluptas.

At linguae, ſaeculique deterioris Scriptor nulli horum comparandus, ſed qui, aut è veris fabuloſa confinxit, aut vera narrare fabulas docuit, quoue etiam artifice ac magiſtro popularis Italica lingua, lepores, elegantiaſq; ſuas ferè aſſumſipt, is Patriae ſuae peſtilentiam, atq; exciſum Vrbis Florentiae ſtatum, & res ita penè deletas deſcribendo per artem, quam ludicrus facetuſque narrator ab Hiſtoriae principibus acceperat, mouet ingenij ſui admirationem ſimul, & miſericordiam tantae cladis: ſemperque Bocacij Peſtem polita ingenia relegere volent: rigor etiam, atque ſeueritas ipſa id rerum humanarum exemplum inſatiabiliter ſpectabit. Saeua, & miſeranda, turpiaq; & indigna exempla, quae per Vrbem, patriamq; noſtram hanc, in vitam, & corpora hominum peſtilentia edidit, paria prioribus illis, aut etiam ma-

iora fuerunt: &, nisi quod ingenio minore, memorata sunt, grandius hodie foediusque spectaculum, renouata litteris erunt.

Caeterùm, quia satis lacrymarum adhuc, satisque miseriarum, & flebilium querelarum satis vrbi est, pergam ego quicquid istud triste, ac lugubre narraui, temperare lepore quodam, & amoenitate, comparando, quae scriptores illi, velut composita in scenae ostentationem retulere, cum ijs, quae vidit aetas nostra, & passa est. Ita ludus quidam similitudinis inducetur, qui varietate casuum, & collatione, atque alterno inter vetera, & recentia, inter aliena, & nostra mala, excursu, recreabit animos. Et quia post excidium, velut ab stirpe floridior Ciuitas nostra resurgit, atque resumunt etiam pristina oblectamenta Ciues, nobis quoque faciendum est, vt amara haec memoria excidij, comparationis dulcedine leniatur, & cladibus alienis temperata mitescat.

COMPARATVR PESTILENTIA NOSTRAE VRBIS CVM ANTIQVISSIMA PESTE ATHENIENSIVM.

Si comico inter tragica verbo vti licitum est, non ego lacti lac, non ouum ouo magis

gis germanum, magiſque ſimile eſſe arbitror, quàm haec Mediolanenſis peſtilentia germana penè facie noſtris temporibus retulit Athenienſem illam, quae à Thucidide deſcripta eſt. Adeò, & initia prima ambituſque morbi, & inceſſus, & cauſae ipſae, vnde tabes vtraque fluxiſſe credita eſt, inter ſe congruerunt. Mali quoque genus, & mos quidam, veſtigiaque & coniecturae incedentis, & vbi inceſſerat, corripueratque cuncta, terrores, & ruinae, ſtrageſque, & ſuſpicionum quoque portenta, & conditio temporum, calamitatumque aliarum concurſus, nihil diſcrepauere à Graeca illa: ſiue tulit ſimillima iſta caſus, ſiue rebus humanis ineſt orbis, & viciſſitudo quaedam, vt vices eaedem per ſaeculorum interualla recurrant.

Peſtilentia, quae Athenas inclytam illam tanta caſuum varietate Vrbem, ad finem olim penè adduxit, minitata prius ex longinquo fuerat Vrbi: dein ab Lemno, lociſque alijs, propius, propiuſque accedens, inſtiterat moenibus, irruperatque demum, & cuncta corripuerat, ſcilicet, vt ſolicitudines, & curae morientium pariter, atque ſuperſtitum aggrauarentur hoc ipſo, quòd datis ita ad praecauendum coniecturis, obtorpuiſſent. Sic,

&

& noſtra clades inceſſit. Diceret aliquis, conſpiraſſe monſtra, vt in diuerſa Mundi parte ad duarum clariſſimarum Vrbium excidium, aditu viaque eadem graſſarentur.

Adeò noſtra peſtis etiam veluti Athenienſem illam ſedulò aemulata, longinquos primò peruaſtauit, alienoſque tractus, dein adiacentia Prouinciae finibus, Prouinciam deinde ipſam, poſtremò Vrbem tanto impetu, vt nihil praeter nomen, & tecta Vrbis relictura videretur. Et itinera peſti quidem haec, antiquitus in Athenarum Vrbem, nuperrime in Metropolim hanc fuere adeò conſimili diuerſitate, vt veſtigia eadem in vtraque parte impreſſa monſtrari poſſint. Sed reliqua etiam ſimillima fuere. Athenienſium multitudinem refert Thucidides, vagante per ſingula capita morbo, & abſumente quotquot attigerat, deſperata omni humana ope, vertiſſe primò ad Deos vota: deinde, poſtquam hi quoque fruſtra inuocabantur, vnicum in deſperatione, & morte ſubſidium habentes, omiſſis remedijs, omiſſaque etiam imploratione Diuûm, penitus, ſeque & Remp. permiſiſſe cladi. Ortam autem ex eo fuiſſe deſperationem, quòd, & medici ipſi inprimis abſumerentur vi morbi, & ſaepius inſtaurata vota preceſq;

nihil

nihil proficere viderentur, nisi, vt exasperaretur quotidie morbus, atque recrudesceret. Consternatos patriae suae clade animos, omnique diuino simul & humano auxilio destitutam inter prima pestilentiae tela Gentem hac imagine repraesentat narrator antiquus, mouetque cum terrore misericordiam erga sic pereuntes. Haud aliter etiam in Ciuitate nostra, & genus penè medicorum inter prima experimenta interijt: & euidente Numinis ira repudiari aliquandiu preces Ciuitas ipsa vidit, haud minus profectò, quàm ea, quae oculis cernuntur.

Simileq; etiam illud, ac veluti genuinum inter nostram Atheniensiumque pestem hoc loco occurrit: quòd pars vtraque, cùm nullum finem suae calamitatis videret, non item causas, originemque mali explicare posset, retulit has ad fraudem humanam, & fieri mortalium arte putauit, quod ira Numinis fiebat. Credidit vniuersa Atheniensium multitudo, Peloponnesios esse, qui delendae Vrbis causa puteos veneno inficerent, & cum ea tunc fortè Gente bellum gerebant. Nos item in pari clade, consilij pariter, remedijque expertes, credidimus, malam aliquam esse mentem, malamque manum, quae manibus

nibus, & ope aliena coqueret venena, & spargeret eaq; suspicio veluti morbus alter & noua calamitas Vrbi fuit. Etiam vana Sacra Isidis illi circumtulere, sicuti nos coeleste D. Caroli Corpus: & demersere plerique se se aquis, & alia incredibilia multa fecerunt, vt similitudo pene ipsa, sicuti magnitudinem, & claritatem Vrbis, & Populi vtriusque, ita cetera omnia delegisse sibi & composuisse quodammodo videri possit.

COMPARATVR HAEC PESTILENTIA NOSTRAE VRBIS CVM FLORENTINA PESTE.

Post antiquam illam Atheniensium pestem, Florentina pestis recentior illa occurrit, quae ab nobilium fabularum authore Florentino, non fabulosa, sed vera historica res descripta extat refertque nostram hanc haud aliter, quàm si alteram ex altera artifex aliquis ingeniose expressam ostendere ac venditare in tabula voluisset. Non sanè tradit narrator ille summus, atque amoenissimus Etruscorum, sed tradidere potiores ad fidem alij, compertumq; nos ex annalibus Gentis ita habemus: pestem eam ingenio passuque hoc incessisse.

Ab Feſulis, & Prato, & Volaterris, alijſq; minoribus aliquandiu populis minitata Metropoli, expertaque vires illic, expectata inde ſimul, & contempta, & irriſa, & abſq; vlla certa ſede vagata per colles, campoſque voluptuoſos, corripuit demum Vrbem Etruriae caput, fixitque regna ſua illic. Tunc ſcilicet, hinc tyranni impotentis feritate, hinc grauiſſimi cenſoris ritu euertit omnia ſimul & ordinauit: fluentemque delitijs, & immodico luxu factioſum pariter negotiatoremque populum, etiam coeli muneribus, & amoenitate terrae ſuperbientem efferentemq; ſeſe ſupra caeteros, ad aequa redegit. Acciderit autem nobis hoc etiam, an verò acribus cenſurae initijs, irrito fine, redire coeperint, imò redierint iam omnia in priſtinum ſtatum, relictum mihi ſit in ſinu veritatis, & famae, quae certius, ac melius etiam ex longinquo nos intuetur quàm ipſi nos.

Caetera colorem vnum trahunt, vt deſcriptio noſtrae peſtis altera futura ſit, ſi in ſimilitudinis vel potius vnitatis huius experimentum ea perſtrinxero quae Florentiae acciderunt cùm populus etiam ille populari hoc traiectitio morbo defloraretur, abſumeretur,

retur,

retur, excinderetur imò totus. Non alia ibi principum aduersus exorientem aduentantemue pestem vigilantia somni fatalis instar: clausaeque portae, & vetiti introitus in Vrbem, & custodita ritè omnia haud alio effectu, quàm si aperta, remissa, neglecta cuncta fuissent: ac negligentiae tamen etiam ibi satis ad id vt non sine hominum quoque culpa clades intraret, quae missa diuinitus aderat.

Supplicationes & vota, & quicquid humanus timor, humana pietas, ab humanis remedijs auersa penitus in coelum, tentare illic & exposcere audet, irrita ibi quoque haec, & negata siue dilata clementia Coeli in id tempus, quo pandi misericordiae diuinae portas, roresque salutiferos super Ciuitatem pariter illam effundi debere impenetrabilis arcani lege fixum immotumque stabat. Signa etiam illa, & pestiferae labes, quae pestem ferebant simul, & adesse nuntiabant, vultu incessere eodem, ac varietate etiam ipsa praetulere istud inter pestem vtramque simile atq; indiscretum.

Nam, alijs pyri, alijs oui magnitudine, alijs inguine laeuo, vel dextero exoriebantur illi toties inter nostra funera nominati furunculi, carbunculi, antracesque, & bubones:

&

& ab ea paulatim ſede partibuſque corporis per membra deinceps omnia extuberare coeperunt. Poſtea, nihil ſane extuberabat, ſed liuebat tantummodo corpus, huic rarioribus maiuſculis, alteri, denſis, paruuluſq; maculis; & moriebantur, quos labes ea foedaſſet intra tertium fere diem, ſine febri complures, aliqui etiam aeſtu caloribuſque agitati tamquam febrirent. Sicut ignem concipit arida admota materies: concipiebat ita peſtem illico, & mortem quiſquis ſanus integerque propius ad corpora illa acceſſiſſet. Similitudo.

Referuntq; narratores peſtilentiae huius: ſi quis ab aegroto tacta contigiſſet, ineuitabile inde exitium, certiſſimamque mortem, abſumptoſque ita complures: & non hominibus modò accidiſſe hoc, vt ab inſito rebus etiam inanimis peſtifero corrupto ſpiritu corrumperentur exanimarenturque ipſi, & alios deinde exanimarent: ſed pecudes ipſas, quarum ſpurcitijs & impuritati nulla conſociatio eſt cum hominum halitu, & vita, ſic eſſe vulneratas, atque infectas. Referunt veluti magna incredibilia portenta haec. At nobis ea facilitas tranſeuntis per veſtium etiam rerumque contagia, morbi, adeò nota res fuit, vt nihil aliud obfuerit magis. Vidimuſque canum,

&

& felum, & aliorum eiuſmodi animalium ſtrata cadauera paſſim, haud dubie, quia proiecta, & iacentia humi nonnulla attigerant, traxerant, verſauerantque roſtro.

In tantis ludibrijs, tantiſq; ruinis, & in tam deplorabili ſtatu vitae mortalium, tria hominũ genera Florentiae notata fuiſſe perhibent. Vnum genus erat ſobrium, hilare, moderatum, quale nullae philoſophorum leges, nulla ſeuerior tetrica diſciplina, ne ſaluis quidem rebus, & incolumi Ciuitatis ſtatu damnaret. Hi curas edaces, & moeſta cogitationum excutiendo penitus, abdicandoque & fugitando, ſed & voluptates haud minus vitando inhoneſtas, modico, ſed exquiſito cibo potuque vtebantur, & facto grege in contubernium aliquod ſalubre congregati, quò nec ſtrepitus, nec fama funerum accidere poſſet, fidibus, & cantu, colloquijs honeſtis ſegne ibi otium oblectabant egregiè munitos aduerſus peſtem ita ſeſe exiſtimantes.

Alij contra, remedio aſſumpſerant omne luxuriae, laſciuiaeque & petulantiae genus. Vagabantur hi bacchabundi ac diſſoluti per vias, & ingreſſi tecta etiam aliena, quae vacua fecerat dominorum, mors regnabant ad breue tempus ibi tamquam in ſuo, ac

repertis

repertis illic in propatulo omnibus, quae clausa aliàs & obsignata siue custodita habentur, fruebantur liberè his absque vlla cogitatione quod reliquiae mortuorum istac essent. Vt cuiusq; domus satiati delitijs erant, tum auferentes inde quicquid fortè placuerat, tum relinquentes ibi mortuos è sua caterua nonnullos, ad alia subinde, atque alia domicilia desertarum opum ibant, & his quoque proculcatis, & effusis potius, quàm absumptis, aut supra dolia, thoros, arcas easdem occumbebant, aut egesto quicquid pretiosi erat, parauerant diuitias, queis itinera ipsa locupletarent, extincti videlicet atque collapsi antequam peruenirent illuc vbi abscondere talia destinarant. Et fuere qui portarent absconderentque feliciter: ac ditatas ita Florentiae domos esse nonnullas constitit ex calamitate ea, & solitudine ac spoliatione aliarum.

Porrò, & hisce desperatis atque rapacibus, & sobrijs, modestis, delicatisque illis, interiecti alij fuere, qui, nec parce ac restrictè, & timidè, sicuti priores, nec sicuti classis altera, latronum furentiumue discursu, sed eleganti & circumspecta securitate, per suburbanos hortos, per deuia camporum, & fere circum

moenia

moenia Vrbis ambulabundi ludibundi captarent laxamenta quidem illa animis, sed & corpus opipare lauteque nutrirent: & aduersus auras pestilentes, muniti flosculis, & omni suauium odoramentorum genere nares cerebri praecordiorumque vias, communem eius anni sortem aut euitare ita studerent, aut vitari posse credendo differrent saltem, & iucundè interea, tranquillè ac remissè in metu, & fuga & morte caeterorum, agerent vitam. Simillimique alij istis, procul ab Vrbe fugitantes, rura villasque petebant, quasi futuri illic extra pestilentiae & mortis aleam. Nec ideò fefellere: deprehensique sunt etiam ibi nonnulli eorum. Sic Florentina ingenia fugerant, spreuerant, & voluerant eludere pestem: illuseratue pestilentia ipsis.

Fuere non aliter etiam in Mediolanensi pestilentia furores & lasciuiae latronum & latrocinijs opportunae vacuae domus, & ex diuerso, modesti, cauti, ad curam suae salutis attenti, lautissimi homines, exitusque talium etiam Florentini populi mortibus pares

COM-

COMPARATVR PESTILENTIA ANNI HVIVS CVM EA QVAE FVERAT ANNO CIↃ IↃ lxxvi

SED lubet abire ab externis ac potius quaerere domi ſimilitudinem hanc, & peſtilentiae mores ſemper eoſdem: neque comparatio tantùm haec, ſed noua narratio Patriae caſuum erit. Et nulla ſanè bella, nullaeue fuere legiones, quae vexauerint illa Patrum aetate tranſitu vel mora Prouiuciam, ſeminaque peſtis per iniurias ſordeſque & contagia militis externi iecerint, & reliquerint ſparſa per terras quacumque inceſſerant, vt inde perueniret dira ſeges in Vrbem, ſicuti in hac noſtra aetate, noſtroque penè excidio accidiſſe demonſtraui.

Namque, debellato per Carolum Caeſarem Rege Franciſco, Galliaque per captiuitatem & vltima exempla Regis illius, aut proſtrata & abiecta penitus, aut excitata & irritata nequicquam, ſimul amplectente modis omnibus ac volente quietem Rege filio victoris Caeſaris, atq; transfuſo diuinitus in id caput ſpiritu pacis, & ſapientiae, quantam maximam alicui dominantium, & alicui mortalium vmquam contigiſſe pronuntiauere ſapientes,

non

non solùm pacata per Italiam, & tranquilla cuncta habebantur: sed etiam Reges fere conticuerant externi, nec temerè aliquandiu arma vlla mouebant. Ne fames quidem antecesserat pessima illa furiarum trium, quae nunc tumultuari populum coegit, atq; penè deflorauit obsequij gloriam plebi iturae ad arma, si qua alia plebes magis proprium id sibi decus contendere vellet. Sed initia pestilentiae prioris illius inde extitere, vnde non facilè quis crederet, & vnde facilè tamen exoriri potuerunt: fuitq; diuersa simul, & simillima origo mali nobis patribusq; in hunc modum.

Vrbs Tridentum, & Vrbs Mantua, necnon finitimae Venetorum Vrbes, Venetiaeq; ipsae inquinatae malo hoc erant: &, dum populi gentesq; illae finitimae terris Vrbibusue nostris terrae vtique pestilentes essent, abirentq; quotidie magis in solitudinem atq; vastitatem: erat interea Mediolani Iubilaeum Apostolica secularis anni celebritas, Apostolicumq; munus à Pontifice Gregorio XIII. concessum Metropoli huic, ad eam formam, qua paulò ante Vrbi Romae solito annorum ambitu redierat diu expectatum id grande salutare mysterium. Ad Iubilaeum hoc, quo reconciliatur Numini

genus

genus humanum, & coelesti indulgentia purgata culpis, ac renouata mortalitas ad gaudia numquam interiturae vitae instauratur, dum confluerent vndique agmina: minime mirum fuit, si, ex ijs, quas dixi terris intulere aliqui pestem. Iubilæum

Melinianum atque Paruzerum, hic ignobilis in Verbani lacus ora pagus, illud frequens decimo ab Vrbe lapide municipium, fuere peste in illa veluti Clusium nunc, & Bellanum, Modoetiaque, & Seronum, & alia mista obscuris nobilia loca, quas morbi portas aditusque primos appellare possis, quoniam, hinc, atque illinc principia mali extitere, fixitque circum ea loca pedem pestilentia gemina Vrbis, & hoc, & illo tempore maiores minoresue luctus allatura Metropoli, & insignem vtraque relictura sui memoriam ad posteros gentesque omnes.

Ac sicuti Locatus & Bellanus, & alia vilium capitum nomina, quae posui, obscuritatem in omne tempus nobilitauere suam hoc ipso, quòd infame sibi fecere nomen, infameque tectum, vnde prima cum bubonibus, & alijs pestilentiae signis cadauera prodierunt: ita mapalia Cumina prope vicum Olitorum, & eo in vico Olitrix anus meruere tristis

triſtis memoriae partem apud nos hac tam turpi nota veneficioque, quòd eorum nomina leguntur prima inter primos, qui hanc funeſtauere patribus Vrbem: perſcriptaq; extant in temporis eius annalibus, quomodo homines quoque noſtros, qui primi traxere, dein proſeminauere morbum, & perſcripſimus nos, & abominati ſumus. Et hactenus quidem pari plane gradu peſtis vtraq; proceſiſſe viſa eſt, originemque etiam eandem habuiſſe, quatenus ab terris vtraque alienis, ac ſi minus ab milite prior etiam illa, certè ab peregrinis illata fuerat.

Illud verò circa eadem rerum initia differt, quòd nulla contumacia maiorum aduerſus praeſentis morbi fidem, nulla inſania plebis irridentis explodentiſque malum, nulla remediorum dilatio notata traditaue eſt, quae praecipua noſtri temporis damna cauſaeque damni, neque dubia fuere, neque in tradenda rerum harum memoria diſſimulari potuerunt. Sed ſtatim exterriti, ſtatim erecti attentique in prioris peſtilentiae principio omnes, & qui gubernabant, & qui ad gubernacula ſedentibus obtemperare atque ad exequenda imperia nutuſq; obſeruandos adeſſe debebant in tempeſtate illa naufragioque imminente.

Non

Non reperi tunc motum fuiſſe petulantia populum, medicoſue penè lapidatos, iniectaſue cunctationes etiam à procerum miniſtrorumue nonnullis: parique modeſtia, & pauore, & ſtrenuitate imperatum obeditumque eſt: ita tamen, vt non effugerent ideò, ſed minuerent ſibi cladem, quam noſtra aetas, & proles haec, hi domorum earumdem heredes, non credendo & contemnendo promptius latiuſque acceperunt. Verùm, in hoc aliquanto diſpare habitu animorum & rerum temporiſque & Reip. ipſius, atque in hac diuerſitate penè fatali, incidit adeò ſimile quiddam, adeòque in ipſa ſimilitudine mirificum, vt quaſi res plane diuina, & compoſita diuinitus accipi poſſit ab ijs etiam, ſi qui ſorte potius & caſu pleraque rerum humanarum congruere ita inter ſe, & euenire interpretantur.

Quippe Tribunal Sanitatis, quod inter hoſce Libithinae faſces, inter Regna mortis haec, in tyrannide peſtis, veluti compar atque oppoſitum tam impotenti dominatui Regnum, ſapientia maiorum inſtituit, ac delegatam huic vim maieſtatemque ſuam voluere Reges interea dum ſcilicet ipſa etiam paueret trepidaretq; Maieſtas: id inquam Mediolani Tri-

buual

bunal anno illo cIↄ Iↄ lxxvi. obtinebat Senator Hieronymus Montius Senatoris Principalis pater, Auus eius Montij, quem nostrae pestis tempore, & fuisse Praesidem, & in eo magistratu decessisse memoraui, sequente Virum mortemque eius haud ambigua fama Ciuitatis vniuersae, quasi non decessisset magis, quàm vltrò ipse pro Patria sese deuouisset. Tam promptus in pericula animus, tanta Iuueni generositas, & contemptio vitae, dum propositum sibi ante oculos haberet Patris sui Patrem, dumque vellet hunc imitari simul, & se quoque relinquere posteris imitandum. Is igitur nostri Praesidis Auus anno illo cIↄ Iↄ lxxvi. Praeses Sanitatis cùm fortè esset, statim vbi pestilentiae fama verberauerat aures, & excitatus ipse strenuè est ardore, & caritate, ac nobilitate insita quidem generi ac stirpi, sed & propria ipsius: & tribunalia illico magistratusque caeteros excitauit, qui, nec stimulis tamen, nec adhortatione sicut accepi, indiguerunt.

fortis

strenui scentis.

Omnia decreta, instituta, facta protinus eadem munificentia sumptibusque & animis ijsdem, quibus & decreuere fecereque posteriores, nisi quòd incredulitas horum, atque ex incredulitate dilatio quaedam perniciosa fuit.

fuit. Missi datique custodes ad pontes traiectusque fluminum: & praeter custodias claustraque portarum Vrbis, moenia etiam, tum educta altius, quà praebere posset ascensum humilitas, tum obstructa & instaurata quà foret aperti & ruinosi nonnihil, qua transcendere siue transilire homines possent.

Conscripti milites in singulas regiones Vrbis, centuriaeque factae, quae excubias inuicem circum moenia agerent. Electi ex nobilitate qui circumirent in equis assidue Vrbem obirentque custodias & omnia recognoscerent: alij, qui ad tertium quartumue miliare, longiusque etiam quotidie excurrerent: alij, qui vlteriora, & longinqua per agros obirent viserentque, descripti fuere cum satellitibus & milite quique suo tamquam in hostem. Ipseque Montius, licet grandi iam natu, & animo quàm corpore validior, vel contacta iam, vel tantummodo suspecta rura adibat, cingentibus latera nobilibus alijs propter Viri nomen, & integritatis, ac sapientiae famam, quae de Senatore eo erat, occupaueratque animos.

De tesseris, & cauponis, & pagis, locisque omnibus diligentissime cautum: ne qua fraus fieret: neue adulterinae pro veris, ac legiti-

mis

mis tesserae exhiberentur : ne qui reciperentur in publica diuersoria peregrini : ne qui etiam in pagos, aliaue loca admitterentur, sed munito cancellis aditu, qui accessissent arcerentur, ac mostraretur eis aliud per deuia iter, quo vadentes itinere ad deuia item diuersoria cauponasque diuerterent, vbi hospitalia quidem eis omnia iure gentium, sed absque commercio, & communicatione vlla praeberentur. Geruli, baiulique, & ferendis oneribus, operibusque faciendis victitans multitudo ad quaestum è montibus vallibusq; suspectis conuenire solita, ne vltra certum numerum incresceret, interdictum.

Deserti, vagiq; & destituti per vias pueri puellaeque, & pari mendicitate viri feminaeque, conquisiti collectique omnes, & coniecti extra Vrbem in antiqua domicilia, quibus ex Victoria nobile cognomentum manet ob fusos ibi caesosq; hostes, & albicantia diu ossibus arua, sicuti conspiciuntur adhuc. Ibi sordidae, inconditae, squalidae centuriae mendicorum D. Caroli sumptibus alebantur, instituebanturque simul, non aliter quàm sicuti vidimus nos Stellae Xenodochium in Vrbe completum multitudine eadem. Lazaretum quoque Gregorianum, & Lazareta minora

pestis

peſtis eadem impleuit.

Quae iuuat conferre ſic omnia, vt intelligatur conſtetque per omnia illud, nihil inter peſtem vtramq; fuiſſe diuerſum, praeter magis minuſue creditam principio hanc, & praeter maiorem etiam minoremue in exitu numerum eorum, qui periere quia non crediderunt. Et, cùm recentior claſſis, non niſi poſteaquam in conſpectu funera erant, aſſentiri voluerit, capereque malorum ſuorum fidem: antiquior altera rumores ipſos pro denuntiatione certiſſima habuerat caueratque ſtatim quantum aduerſus deſtinata ſuprema cauere ac prouidere mortales poſſunt.

Ad boletos vſque & poma acerba, vuaſq; immaturas haec cura deſcendit: atque edixerunt ne venalia iſta in Vrbe haberentur: edixere, ne coriarij factitarent artem alerenturue bombyces qualia tetri odoris inquinamenta viderant etiam ſuſtulerantque noſtro tempore proceres nepotes filijue eorum. Cloacas, foſſas, nilos, receptacula purgamentorum Vrbis, quae nunc ſubterraneo meatu aquarum eluunt euerrunt ambiuntque totam, aut antiquitus inchoata abſoluerunt, aut, vbi non erant, facere inſtituerunt. Pecuniaria res in ijſdem tunc fuerat anguſtijs ijſdemque

Descriptio ... liarum ... (Mediola...)

demque difficultatibus, in quas, & nostra aetas nostraque pestis incidit: ampliusque etiam tunc credo esse laboratum.

Nam & exhauserant aerarium, aereque insuper alieno Rempub. onerarant ducenta millia nummûm aureorum donata Regi ob Flandriae bella in suos illos & Catholicae Religionis hostes, atque perduelles: neque solita vectigalium, queis publica res innititur, toleratque onera necessaria, exigebantur. Remedio fuerat malum aliud, foenora, & versurae & hoc, quod noua semper incommoda parit aeris alieni subsidium, quo implicantur, inuoluunturque vinculis inexplicabilibus dum volunt sese expedire non homines modò singuli, sed populi etiam Respublicaeq; ditissimae miserius atque inexplicabilius, & damno maiore, nisi quòd aduersus publica damna viritim quisque constans, & liber solutusq; agit: fitque malum ita sempiternum, & fere sine sensu, quia non ducuntur in vincula Ciuitates.

Id, quod, & denuntiatum ab hac Ciuitate Consilioque Generali semper libere est, & clementer, facileque auditum, denuntiauere tunc quoque Decuriones, & professi fuere litteris tabellisque omnibus, quoties in extricanda, siue in eroganda grandi ob hosce

sumptus

ſumptus aliqua ſumma gemuerant. Pertinere ad Maieſtatem Regis huiuſmodi onera, & impenſas. Ita ſcriptas eſſe leges: extare Caeſarum exempla: ſubijſſe Sfortiam: annuiſſe Carolum V. & anno CIↃ IↃ XXIX. decretum de ea re feciſſe: aliaque ſimilia iſtis, dicta, & accepta cum reſponſo illo ſcilicet. Maieſtatem quoque Regis aere alieno penè eſſe demerſam: quod reſponſum negotiatori fortaſſe cuilibet graue pudendumue foret: apud dominum fere Orbis, & auriferi mundi poſſeſſorem ab ſolis vtraque domo ordientem finientemq; Regna, non item dedecori iſtud.

Eaedem igitur Reip. denuntiationes eademque reſponſa Regiorum ſuper negotio hoc fuerant prius, quae noſtro hoc annó ſaepius repetita eſſe retuli. Vtroque tempore reperti ſunt, qui Reipub. commodarent, peterentque, & haberent aliquandiu ſuſtentatae Patriae gloriam, quae poſtea, lucro foeneratorum intellecto, minor fuit. Repererant maiores, & imitata eſt ſequutaq; Ciuitas illud etiam, vt alendae plebi quoddam aliud aerarium inſtituerent, facta ex pijs locis collatione pecuniarum, ſine ſtrepitu, ſine foenore, ſine etiam recuſatione cuiuſquam, quoniam id Reip. quaſi patrimonium eſſet.

Ad

Ad propitiandum Numen auertendasque coelestes iras, non facilè dixerim, vtra magis intenta, magisue larga, & supplicationibus, & votis fuerit aetas, cùm neque religiosius ampliusue quicquam facere veteres illi potuissent: & posteri, quasi certamen, non exemplum modò pietatis inde sumpsisse videantur: ac plane certauere cum eis. Nuncupauerant illi sua vota: supplicationes ad templa per continuos aliquot dies habuerant: destinauerant aedificanda alia templa propulsatoribus pestilentiae Diuis: posuerant aediculas: ieiunia, festosque dies instituerant: & recordati, quemadmodum anno CIↃ IↃ XXIX. cùm incidisset idem atrociore etiam violentia Vrbi malum, impositae fuerant columnis ad compita cruces, quae, simul acerbissimae Christi necis recordatione solarentur atque confirmarent indigna & perpessu aspera multa patientes: simul, spem & pignora salutis praeberent: haec ipsa, quae iam exolescebant trophaea renouauerunt, & populum ad victricia illa mortis, & Sathanae signa semper intuenda excitauere.

Haec, & alia maiores in sua peste placamina coelestium irarum, & subsidia rebus excogitarant, quaesierantque. Quod-

que

que longè gratiosissimum, & non gratia modò, sed etiam potentia quadam & suo iure validissime efficax viderant fore placamen, deduxerant ab summa testudine Templi Clauum, qui confixo olim Saluatore fuerat etiam ipse pars humanae salutis: neq; potior alia in terris salus: atq; coeleste pignus id, & imbutum diuino cruore ferrum, veluti deprecatorem vnicum produxere, cui venia negari non posset. Circumtuleratq; Cardinalis Archiepiscopusq; Carolus, insequente populo per Vrbis vias, incomparabili temporis eius praerogatiua, cùm futurus Diuûm vnus, & destinatus choris iam ille sempiternis pulsaret precibus & incessu suo coelum, & in parte supplicationis esset cui preces fundere sequens aetas debebat. Id supplicationi maiorum singulare adiumentum obtigerat, & summa commendatio apud affine iam Pontifici coelum. At nos in spe vltima mouimus protulimusque. Reliquias Pontificis eiusdem, nec dum tamen matura veniae dies erat: & quomodo approbatum id cognitumq; fuerit, ipsa crescentis deinde morbi fide, caeteraque ad impetratam vsque salutem exposuimus: nec repeti vltra compararíue ista attinet.

Exactae comparationis loco erit, si perre-

xero exequi ac recensere quae fecerant in sua peste patres auique Procerum horum : quae pertulit ac vidit ille hodierni populi parens satorque populus : quae interim egit diuinus eius aeui Pontifex haud vltima rerum meritorumque tantorum , vnde beata sempiterna vita ei in conspectu beatissimo infinitae Maiestatis : vnde radiatum quoque caput apud mortales, & decretus eius nomini, ac memoriae honos , quem obtingere posse mortali , misericordiae diuinae opus est tam rarum , quàm rara capita electa & nata atq; adulta & profectò confirmata in id.

Ab ea supplicatione maiorum, quae superauerat haud dubiè nostram, & ab ea pompa, in qua duae maximae res apparuere Vrbi : nempe adactus per neruos venasque Saluatoris ille Clauus, & Clauum attollens lacerata, & confixa doloribus ijsdem diua dextera Pontificis : ab circumlato ita per Vrbem pignore, quo non produci , siue circumferri maius aliud potuit : coepit grauescere malum illud alterum aequale pesti, siue causa fere pestis : & fames, quae nostram, tum antegressa, tum comitata pestem, priori pesti hactenus ex parte pepercerat, orta violentior est, & infestissime circumstetit hanc.

Non

Non suppetebat iam annoua ex agro, qui tam late circumiectus Vrbi, lateque per spatia immensa excurrens desiderabat cultores iam fere suos, qui, aut mortui erant, aut abditi tugurijs, in mapalia relegati, perculsi attonitique pauore, aut deseruerant opus, aut segniter pigreque faciebant. Excogitatum à Consilio Generali est, annuitque temporis eius Gubernator, & regia mandata in id dedit, vt ex Prouinciae vrbibus, ab Laude Pompeia nominatim, & Alexandria, & Nouaria Ticinoq; quoniam eae sunt maxime frumentariae Vrbes, frumenti copia coemeretur, atque comportaretur. Non sanè negabant de frumento quicquam: sed increscente, ac diffundendente sese quotidie latius morbo, omne cum Metropoli commercium horrebant: atque ideo non facile super ea re inter Metropolim Coloniasque conueniebat.

Et Papienses praecipue detrectare ausi mouerant sui fastidium, haud secus, quàm sicuti apud Romanos olim grauiter notatae Coloniae fuerunt, quae militares delectus Imperio negarant. Sumpta tamen ex Laumellino agro praesertim copia frumenti est, ratioque inita, positionibus itineribusque descriptis, vt apud Villam Crastam in praeparata ad id horrea

horrea iuxta nauigabilis fossae ripas ea copia deueheretur, atque transdita in nouos saccos imponeretur in naues, portareturque ita sine vlla terrarum earum fraude ac detrimento in Vrbem. Id, quò diligentius attentiusque fieret, & dederat Ciuitas, & Coloniae ipsae mittebant è suorum numero, qui ad loca illa sederent, quà conuehi frumentum, exonerarique, & imponi deberet.

His etiam permissum imperium, & facta potestas cogendi frumentarios omnes conductoresque agrorum ad id, vt iusto pretio venderent Reipub. quicquid tritici, hordei, oryzae, seliginis, in horreis haberent: neque vt venumdarent solùm, sed etiam, vt Mediolanum in horrea publica conuectum probeque curatum exhiberent. Alia Binascum annona ex agro Ticinensi, alia ex Laudensi ad Gaheram, quod loco nomen, portabatur. Fuere in ijs locis instituta emporia: ibantq; ex Vrbe illuc quibus empto opus esset, ne cogerentur, qui ea portabant venaliaque habebant, terras intrare pestilentes. Praefuere, parte in vna Scacabarotij, Guidus, & Iulius: in altera, Marcus Fannianus praefectus annonae.

Cùmque pauperibus alendis curarentur

ista,

ista, & fierent, sine quibus fere non durat vita, salsamentorum etiam, oleique, & ganeae, & rerum aliarum, quae potius sunt irritamenta palati, quàm alimenta vitae, necnon lignariae carbonariaeque rei, & carnium & altilium, caseique, suscepta publice cura est, tamquam priora illa suppeterent, quibus ista accedunt: taliaque è Placentino agro praesertim accersenda mandauere Ambrosius Archintus, Guidus Cusanus, & Caesar Petrasancta. Adeò, nullius ne minimae quidem rei cura spernebatur in maximarum solicitudinum concursu, ac tumultu: quam Romani Senatus prouidentiam, dum summa imperij in discrimine esset, admiratus scriptor vnicus ille populi principis terrarum, illa ipsa, quae posui verba posuerat.

Caeterùm, cùm, & minima haec, & maxima alia vrgentia, & horis omnibus ingruentia simul, onus iam intolerabile fecissent, repetebatur adhuc à Proceribus illa nobis pariter actio saepius repetita nequicquam: ad Regium Fiscum pertinere impensas. Respondebantur solita illa quidem de aere alieno Regis etiam, ac de mole Imperij, cui minium esset quicquid auri nasceretur in venis, siue per flumina inclyta subsideret, quicquid

aut

aut mitteret Indus, aut tot Regnorum tributa conferrent. Sed, & fatigatis assidua efflagitatione Regijs inuenta subtilitas est, quae iure etiam atque interpretatione legum id negaret quod res ipsa negabat. Manauit à Gubernatore siue à Consilio Secreto, siue simul vtrum responsum in haec verba.

Quod de pestilentiae impensis conquereretur efflagitaretque Ciuitas, & ad Maiestatem Regis spectare onus contenderent egregij Viri Decuriones: de ea re sic videri: petitionem esse diuidendam, quatenus, & stipendia ministrorum, & reliqua sumptuum ea petitione coniungerentur. Stipes eas, operarumq; mercedes, onus esse Maiestatis: alendi populi non item: & pauperes vtique sustentandos esse Ciuitati, ex cuius corpore corpora omnino illa essent. Sic, & declarasse, sanxisseque ipsos, quandoquidem, in ea fame, quae septennio antea fuerit, subierit vltro Ciuitas id onus, atq; septuaginta millia nummûm aureorum erogata de publico pauperibus alendis fuisse reperiantur.

Rursus ad ea Ciuitatis nomine Decuriones: quod piè liberaliterque Ciuitas aliquando fecisset, non debere id pro praeiudicio accipi, nec fraudi esse oportere merita & obsequia

in

in Regem. Inductos enim esse pietate, & fide erga ipsum, Maiestatemque tantam, ne tot millia in eius Imperio perire fame sinerent in Vrbe scilicet, quam ea Maiestas praecipua indulgentia, & benignitate tueretur, caramque haberet. Cùm, & Decuriones aequa postularent, nec Regius Fiscus oneri subeundo esset: quod medium inter necessitatem atque munificentiam erat, fecerunt.

Quaterna millia nummûm aureorum in singulos annos ex vectigali salario exigenda Ciuitati assignauerunt, quae ad quatuor millia ex vini metretis summa adijceretur, nec paruum in praesentia leuamen, nec eiusmodi tamen, quale res ad extremum adducta requirebat. De reliquo spes à Gubernatore facta erat, posse ab Rege impetrari, si laxamenti aliquid ab magnis necessarijsq; sumptibus nacta Maiestas foret. Sumpsere Proceres inde animum: Bripiumque Sfortiam accomodatum aulae moribus, &, nobilitate ingenita, simul gratia apud Regem perferendis publici Consilij precibus idoneum in Regiam destinauere. Perscripta ei mandata legationis negotijque totius: alia relicta ipsius arbitrio, prout inclinationem animorum vidisset mentemque Regis.

In

In primis autem agere hoc, & exponere debebat: Decretum Caesaris, clarè, & disertè sine exceptione vlla esse perscriptum, vt paternae voluntatis etiam reuerentia heres filius Imperij gloriaeque eius moueretur ad statum adeo aflictae Ciuitatis clementer benigneq; respiciendum. Et legatio quidem ea exitum postea suum habuit, quem inter temporis eius negotiá annales nostri continent Pestilentia verò nihil dum sanè remittebat, vt maxima omnium, quae vmquam accidêre cladium eiusmodi videri posset, nisi longè maior illa nostra fuisset, in qua narranda feci ego fortasse more aetatum hominumque omnium, qui sua mala semper suaque bella efferre supra casus alienos, & augere amant, & vt quidque nouissime accidit, hoc illud fuisse maxime terribile omnium maximeque atrox praedicant.

Fecerat hoc etiam tempore magnitudo pestis angustum & impar multitudini Lazaretum: atque capacitas illa tanta domicilij, quae descripta est, sufficeret in tali malo fortasse cuilibet Vrbium aliarum. Metropoli populoque huic, tunc, sicut, & nostra aetate accidit, solita semper etiam erga beneficia liberalitatesque dominantium obtrectatione

penè

penè increpita eſt, ſiue auaritia liberalitatis ſiue improuidentia ſapientiae veterum Ducum; qui intra eos tantummodo fines opus id regale deſcripſiſſent poſuiſſentque. Debuiſſe latius ampliuſque metari caſtra illa mortis, ſpatiumque capere illud, vnde pars nulla verſae tantae Ciuitatis in mortem tabemue & pericula mortis excluderetur.

Factum eſt in eis Lazareti anguſtijs, & in ea periclitantium morientiumque multitudine id, quod & noſtra poſtularat monſtraueratq; neceſſitas: credoque ego exemplum inde ſumptum etiam fuiſſe Lazareta extra Vrbem alia aedificandi, qualia nuper ſtetere: edixerantq; & impetrarant, vt ex vicinis Vrbi locis intra viceſimum miliare, ligna, tabulae, paleae ad ea aedificanda comportarentur, operaeq; etiam conuenirent. Ducena in ſingulas portas tuguria poſita fuere, quarum & formam, ſicuti in eius peſtilentiae monumentis deſcripta extat ſubijcere ac repetere haud alienum fuerit, vt non modò priuatim inter Vrbis acta conſeruetur: ſed publicè inſpici poſſit alienis etiam, ſi fortè ſcripta vmquam haec egreſſa hinc, & delata aliquò erunt.

Situs eligebatur quam minime depreſſus, & quantum fieri poſſet erectus, atque accliuis.

Ordines

Ordines classesue tuguriorum porrigebantur in longum, aequalibus, vbi loci pateretur natura lineis. Distabant itinera denûm inter se cubitorum interuallo: interuallumque inter tuguria ipsa cubitorum senûm fuit. Erant omnia aditu limineque obuerso ac spectante in eandem partem: spiraculum supra limen tenue habebant, tegmenque ostiolo praetentum ad id, vt aegrotus vnusquisque cadente etiam inbre stare sub dio, frui liberioribus auris, vitare taedia carceris illius posset.

Erant è paruulis trabibus contexta pauimenta ipsa quoque edita à terra, & alta paulisper, ne noceret humor, additis in circuitu cauis quibusdam, per quae caua pluuiae aquae euergerentur in fossam: & erat vnicuique Lazareto circumducta fossa, tum, ne qui temere per diem aut licentia tenebrarum, ingrederentur, insultarentque clausis, tum, ne temere etiam ipsi inde exire possent: inq; fossam eandem aquae decurrebant aliae, quae in varios Lazareti vsus ab proximo quoque alueo ductae, & corriuatae circumcirca erant. Extra cancellos, & septa cuiusque Lazareti tuguria struebantur militi accipiendo, qui stationem ad limina agebat.

Alia ibidem tecta coquendis cibis tabernaeque

naeque medicamentariae, & omne quasi instrumentum populi vnius, omneque numerosissimae familiae ministerium in eo aditu erat. Altè erecta Crux ostendebat ei languentium populo Saluatorem affixum: ac sicut in maiore Lazareto, ita ad minora etiam illa, praecipua cura diuinarum rerum fuit. Dabatur quotidie signum, ad quod procumberent in genua singuli, Crucemque intuentes, illa Christi tormenta meditarentur. Res quotidie diuina fiebat, aedificatis, & positis eo situ sacellis vt ab sui quisque limine tecti, si minus auditor, spectator certe tanti mysterij esse posset.

Ad effugia prohibenda inclusorum, imperium, & cura nobilibus viris erat. His centeni milites attributi singulis cum scriba publico ministrisque alijs: ducesq; ipsi appellati. Summa impensarum in hasce custodias ad librarum quadraginta sex millium ascendit, ac relata ita est. Aedes vnicuique Lazareto propinquas custodiarum huiusmodi causa, lignaque & culcitras & quaecunque alia in tabernacula militum ducumque ipsorum vsui forent, qui praeparanda coemendaque haberent electi fuere.

Ad cibaria item paranda, & exhibenda Laza-

Lazaretis, ſuos vnaquaeque Porta nobiles habuit, per quos ea maxima omnium res diligentiſſime adminiſtraretur. Non autem temere in Lazareta, nec facilè pauperes omnes promiſcueque admittebantur. Sed vt quemq; educendum ex Vrbe deportandumque illuc circitor, cuius ea cura, retulerat, inſpiciebant cognoſcebantque electi in ſingulas Paroecias ad id. Si cauſam neceſſitatemue probabant, admittebatur, atque referebantur in codicem omnia haec: nomen cognomentumque ipſius: conditio & ſtatus, & cui vxor liberique eſſent, numerus quoque eorum, & quo die, ex qua Paroecia & domo receptus, eductus, admiſſuſque eſſet.

Ad Lazareti porrò limen iſte deductus, ſiue deportatus, poſito quem attulerat veſtitu lauabat, & noua aliqua coopertus tunica mittebatur in tugurium. Bini, terniue in ſingulis tugurijs erant: graduſque facti etiam, vt, ſiue manifeſte infectus, ſiue tantummodo ſuſpectus quiſq; eſſet, in ſua ſeparatim claſſe ordineque collocarentur. Habebant claſſes ordineſque iſti miniſtros quoque ſeparatos, vetito inter eos commercio congreſſuque omni, ne pars melior ab deteriore corrumperetur.

Medi-

Medicorum penuria laborabatur, latitantibus, ſiue diſſimulantibus artem, qui vitae dulcedinem ante quaeſtum habebant. Ac licet ſalaria vltra ſolitum etiam effuſa proponerentur, non tamen è tenebris, ſiue è Villis extrahi potuere nonnulli, qui abdiderant ſe ſe, mercedemque mortis abominabantur. In ea neceſſitate artis, cuius etiam nomen, ſolatium & medicina aegrotantibus eſt, cùm vndique conquirerentur qui titulum ſaltem authoritatemque medentium inferre in Lazareta poſſent, ac vellent, reperti ſunt apud Ticinum Galli homines, qui dicerent, ac profiterentur ſe ſe medicos, nec mento fronteque, & corporis habitu diſcrepabant. Depromebant etiam aphoriſmatum aliquid, & producti forte à caupone ad aegrotos illic in vicinia nonnullos, praeſcripſerant dederantq; pharmaca, quibus epotis conualuerant non morituri tunc vtique illi.

Aiebant ire ſe Venetias ad Vrbem illam peſte liberandam, & ibant. Quatuor hoſce, ſiue quinque medicos, nihilo peritiores, potioreſue muliere montana illa, quae noſtris temporibus, ſicut memoraui, Lazareto illuſit, conduxerat luculenta conditione miſſus eius negotij cauſa Lonatus, adduxeratque ſecum

cum in Vrbem. Pactum erat stipendij in singulos menses, quantum ne legitimi quidem, & iusti medici poscere auderent.

Mille sexcenti aurei nummi fuere, cuius pecuniae pars maior, data illico repraesentataque est. Ducuntur in Lazareta isti: & deprehensa paulo post nescio quomodo temeritate, atq; inscitia, coniecti in carcerem, caesi virgis, & pecunijs exuti, quas acceperant, mox, ne oneri insuper essent, dimissi abierunt diminuto etiam grege verberonum: nam duos eorum pestilentia ipsa puniuit, mortuique in vinculis sunt. Actum deinde cum Collegio medicorum vti quoquomodo subuenirent, & eius authoritate Collegij prouisum necessitati est, ac prodiere inde, qui munere suo fungerentur. Assignata quinquagenum aureorum nummûm mercede singulis è publico in singulos menses.

Lanfranco Boniperto Nouariensi ob viri famam, & egregium in ea arte nomen menstrui centeni persoluebantur. Pharmaca, potiunculaeque, & quicquid aliud curando, ac refouendo corpori repertum est, è S. Coronae medicinis, quae regali munificentia fundatoris stant pauperibus apertae petebatur. Vbi loci eius copiae non sufficerent, procerum,

rum, ac Reip. sumptu, impendioque prompto satisfiebat. Et subsidium ad omnia maximum erat diuina tunc inter mortales mente spirituq; diuino Coelestem in terris agens vitam Cardinalis Archiepiscopusque Carolus, cui non res alia opinor, aliaue pars vitae magis, aut patefecit in huius aerumnosae vitae termino Coelum, aut Coelestes honores postea decreuit, quàm facta temporis huius: veluti delitium accepta pestis caritate & amore erga populum: effusae opes: venditae terrae: nudata domus vti subueniret: & maiora adhuc ob salutem alteram inuenta per eam, & per totum illud pestilentiae tempus exhibita Ciuitati: quae quoniam editis de eius vita, & Pontificatu libris à me satis explicata esse arbitror, inuertere nunc, & repetere supersedebo. Dimensa panis, & vini ad tuguria, quae dabantur, fuere ad hunc modum.

Triticei panis in singula capita vnciae viginti, vini synceri non diluti vnciae viginti octo, orizae aliquantum, & si quid mutauisset praeterea medicus, siue delicatius leuiusue praescripsisset, imperauissetque iure suo aegrotis dabatur. Tradebantur à dispensatoribus haec, accipiebantque inclusi horribili

propter

propter contagia cautione: eratque simillima res, ac si alteri quidem ad ferrarum cubilia accessissent: alteri verò velut ferae planè quaedam abditae introrsus occultaeq; manerent. Stantes procul ab limine, qui attulerant ea, deponebant humi, dein abibant: inclusus, non nisi digresso latore prodibat tollebatque.

Nisi corpora singula haec efficerent vniuersum Reip. corpus: & nisi tanti esset, Metropolim conseruare tantam: nisi etiam in quisquilijs ipsis sordibusque plebis vita principum etiam ageretur: miraretur quis, vnde tanta diligentia, tot repertae artes erga plebeiorum horum vitam: Librarum centum quinque millia insumpsit Ciuitas, vt haec abdita tugurijs per Lazareta multitudo, salubrius, ac melius quàm apud suos quique lares alerentur: diligentiaque maior fuit circa quadragenarios illos secessus explorandis in securitatem corporibus aduersus insidias & secreta pestis.

Apud Classes ordinesque tuguriorum in id destinatos, si quis mortuus inter experimenta ipsa esset: nemo eorum, qui intra septa eadem mansissent, inde mouebatur, restituebaturue in Vrbem antequam exisset quadragesimus ab eius obitu dies. Vbi ea dies exierat,

rat, tunc mouendus restituendusque ille, in alia nitida septa traducebatur, quae aditus duos habebant. Altero aditu ingrediebatur is, atque ingressus, detrahebat sibi vestimenta, quibus indutus erat, detractaque proijciebat foras, & ad lauacra ibi parata lautus, purgatusque nouam assumebat vestem, quae ab altero aditu illata traditaque ei erat: & portâ mox ipse eadem egrediebatur si quidem nulla contagij signa comparuissent. Sic nudabantur, lauabantur explorabanturque corpora virorum. At feminae propter pudorem in manu obstetricum erant. Per eas inspectae, tentatae, probataeque dimittebantur: quae, & parientium intra Lazareta nixus adiuuabant.

Dimissi deinde isti & restituti in Vrbem, atque in pristina tecta deducti, non aliter exeundi inde vagandiq; ius habebant, quàm si viginti dierum spatio solitarij illic etiam inclusique mansissent. Ad tuguria qui mortui pecuniarum aliquid reliquerant in vestimentis, tradiderant, patefecerantue alicubi abditum: eae pecuniae, vel proximis ipsorum ab electo in id Decurione restituebantur: vel si non erant affines, aut propinqui, publici iuris fiebant. Par seueritas, & fides diligen-

tiaque

tiaque procerum in pecunia, quam aliqui tamquam morituri depoſuerant, euaſerantque tamen. Recipiebant enim omnia ad teruntium ſicuti depoſuiſſent.

Vltimae morientium voluntates ne vanae irritaeque eſſent, decreuit Senatus licitum fore cuſtodibus miniſtriſque Lazareti quibuſlibet, ſcribere, & obſignare teſtamenta, idque perinde ratum fore, ac ſi ſolito Scribarum Notariorumue ſtrepitu ac tumultu perſcripta authoritas tabulaeque obſignatae eſſent. Ac ne qua per inſcitiam fraus admitteretur peior etiam damnoſiorque captiunculis & fraudibus artis, additum decreto eſt: non aliter rata fore teſtamenta eiuſmodi, quàm ſi cognouiſſet ea approbauiſſetque Senatus.

Lactentes infantes, & recens ab vbere ſubducti, maiuſculique alij, ſed pares adhuc infantiae debilitatique lactentium, & mortuis matribus, alteroque etiam parente deſtituti multi, grex infelix, & non aetatis imbecillitate ſolùm, ſed etiam fortunae conditione miſerandus, aut moriebantur in lectulis ijſdem calentibus adhuc vltimo ſpiritu parentum: aut ſorte infeliciore ſuperſtites, trahentes aegre rudem atque inexpertam vitae animam, per humum euoluebantur, nullo tollente, nul-

lo

lo etiam in proprijs ſuis malis, & vrgentibus ſuper praeſentia mala periculis quoque maioribus aduertente malum dedecuſque temporis iſtud.

Aduertit ſuſtulitque Reſp. Domuſq; parata capaciſſima eſt, in qua, tamquam ſub matris vbere, materno ſenſu alerentur producerenturque ad vitae ſpem iſti nati tantummodo in id, vt mori inter vitae rudimenta deberent. Nutrices, altrices, obſtetrices etiam, & aliae miniſtrae iſtis, omneq; tenerum, id delicatum, & molle matrum genus, quod nato vixdum, mox faſcijs cunabuliſque conſtricto, atque inter mala ſimul & praeſagia malorum vagienti animali, in ſuam quaſi vicem mater omnium natura parauit: multae inquam velut Reip. filijs, publico ſumptu & procerum cura conductae matres fuere in ea miſerabilium nuper, mox felicium infantum domo. Domuſque haec, & tuguria, quae alia ſuper alia ſtruenda fuere, dum creſcit aſſidue aegrotantium numerus, dum etiam palearum copia materieſque vilior alia faciendo operi deeſt, quinquaginta M. libris Reipub. ſteterunt.

Ad x. Cal. Nouembris LX. Decuriones pro populi ſalute nuncupauere vota Diuo Sebaſtiano

tiano Martyri, vt ciuis ille Vrbis huius, per vulnera illa sua, & receptas in viscera pro Christi fide sagittas auerteret pestem hinc, Deumque propitiaret. Votaque fuere concepta in hunc modum.

„ D. Sebastiane Martyr, quem terra haec Coelo edidit: quo Ciue, & alumno suo gloriatur Vrbs Mediolanum, vt gratia meritisque tuis apud Deum impetrare velis huic cladi finem, quae patriam tuam infesta appetit: at nos vouemus Templum nomini tuo, quod posuere maiores nostri, intra quatuor hosce annos, qui proxime venturi erunt, amplius magnificentiusque aedificaturos. Anniuersaria festa die, quae mox nomini tuo aderit, factam è crystallo pixidem Templo dabimus, vt Reliquiae Corporis venerandi, quae ibi sunt, pie atque honorifice recondantur. Idq; vas ea die Decuriones nos, cum Populo, & Clero portabimus rite confessi peccata & sumpto Eucharistiae Sacramento, quò gratius donum acceptiusque sit. Haec nuncupauere vota, quae vt essent rata Ciuitati, scirentque omnes, quibus ei Diuo promissis obligarentur, euocatis vicatim hominibus, qui Paroeciae quisque suae nomen authoritatemue ferrent, rem patefecere, sicuti publice su-

scepta

ſcepta decretaque eſſet. Aſſenſereque Syndici, & ſcribendo affuere.

De forma, & modo inſtaurationis, aedificationiſque Templi permiſſum Alphonſo Gallarato, & Ioanni Arcimboldo, Baptiſtae Vicecomiti, vt deſcriberent ipſi formam ſtatuerentq; & curarent. Accenſi erant animi tum religione erga Martyrem Ciuem Vrbis, tum ſpe veniae ſalutiſque impetrandae per eum: ac vota inſuper alia addidere, quae neſcio, an maneant omnia nunc, & cum fide perſoluantur, an verò exoleuerint, ſicuti factum eſt, fietque ſemper, vt ſentiant etiam Diui fraudes haſce hominum, magnoque & antiquo humani generis crimine coniungantur haec: vota fallaciaeque in Sanctos.

Vouerunt annuente etiam, ac ſuadente Hiſpano Gubernatore Decuriones, & Mediolanenſium ſuorum nomine promiſerunt: Sodalitium fore inſtituendum Martyri huic, in quod nomina darent primi omnium, Marchio ipſe Gubernator, vxor, liberique eius, Decuriones deinde, & Senatus, Magiſtratuſque Vrbis, & reliqua ordine nobilitas, vt cuiq; gradus, aut locus. Inſtituta, & onera Sodalitij, Conſortijq; huius, non oneris, aut legis, ſed tantummodo voluntatis fore dixerunt:

nec

nec praescripta vlla & certa, sed vt quisque suscipere vltrò aliquid & facere pie voluisset, veluti haec. Diuidere in pauperes eleemosinae nonnihil: & quibus amplior esset fortuna, conferre copiosius etiam largiusque pecunias, vnde subueniretur pudicitiae periclitanti, si qua inter nobiles praesertim huiusmodi puellarum discrimina essent. Sequi, ac deducere funalibus accensis agmen, cùm ipso Martyris peruigilio portarentur in Templum maximum Reliquiae eius: funaliaque deinde ea relinquere in pios vsus, atque in vsum praecipue hunc, vt collocandis in matrimonio puellis pecunia etiam inde efficeretur. Vouêre insuper, festam & nulli faciendo operi sacram in perpetuum populo Mediolanensi fore diem, quae dicata Martyris nomini ac memoriae quotannis recurrit. Ituros eo die cum Archiepiscopo Vrbis Cleroque Metropolitano ad Templum illud oblaturosque dona, pompa, & ritu eodem, quo ad Diui Ambrosij Basilicam cum singularum artium vexillis, vexilloque augustissimo Pontificis antiqui itur annua die, quae proxima festo Paschatis est. Votum deniq; fuit, vti res diuina nomine sumptuque Ciuitatis quotidie fieret in D. Sebastiani Templo: eligeretur

eligeretur in id à Ciuitate Sacerdos: eique Sacerdoti onus iniungeretur suppeditandi sumptum ad sacra solennia facienda in eum diem, quo die nuncupata haec vota essent.

Cardinali Archiepiscopo supplicatum, vt author ipse fieret, quatenus sine authoritate etiam Ecclesiastica non possent peragi haec, indeque penderent. Interea, nec humanis remedijs, nec diuina adhuc ope leuabatur malum: vectigaliaque Reip. & magnae Ciuium liberalitates, atque imperata etiam tributa quotidianis pestilentiae sumptibus exsuperabantur. Reperio fuisse tempestate illa, qui crebris repetitisque largitionibus conferrent in publicum summas, quas cogi potuisse vix fides, nisi relatae in codices perscriptaeque extarent. Nomina tunc opulentiae principalis in Vrbe fuere, Iacobus, & Franciscus, quibus Abdua cognomentum. Hi, siue traditas à maioribus, siue accumulatas industria sua opes nobilitauere subeundo in publici oneris partem, largiendoque Ciuitati pecunias, siue commodando citra quaestum iniuriamque foenebrem, quae vilis, & odiosa mercatura nonnullorum aliorum fuit.

Non sufficiebant ista tamen: actumque de vectigalibus Reip. vendendis, vt summa triginta

ginta millium aureorum nummûm efficeretur. Deerant emptores: ac necesse fuit per Gubernatorem homines ad id compelli pecuniosos, vt pecuniam in eo emptionis genere collocarent. Senatus, iustitium esse iussit, dimisitque captiuos, qui ob aes alienum nexi attinerentur: & posita trabea Patres velut interim obliti maiestatis in vestitu breuiore incedebant.

Agitatum inde, & in Senatu, & inter Proceres de remedio, quod vnicum idem atque difficillimum, praecipuumque & vltimum inter pestilentiae extrema semper habitum fuit, vt scilicet Ciuitas vniuersa, tamquam vnus homo, atque tot adhuc millia promiscuae multitudinis, quasi corpus vnum, abdita, seclusa, discreta tenerentur in quadragesimum vsque diem, qui terminus experimentorum aduersus contagia haberetur. Fueratque dilata res ob sumptuum & impendij magnitudinem, angustiasque rerum, quas tanta intra parietes relegata, & obsessa multitudo suo iure postulatura esset ab ijsdem, qui relegassent, tenerentq; obsessos: & tumltus profectò aliquis timeri poterat si tot mala simul populum egissent in praeceps: squallor, & solitudo sub tecta: fames, egestas, & ne laboris quidem artiumq;

&

& operum emolumenta vlla: metus contemptusque mortis, & in conspectu mors, & desperatio vitae, & Reip. quoque morientis imago quaedam, vt stimulus ad omnia audenda, ipsa impunitas foret.

Pridie Cal. Nouembris edictum est: claudi domos, includi oportere omnes: abstinendum esse commercio, & contactu, & euagatione luceque communi, & promiscuis vitae vsibus, si recipere vitam & lucem, & pristina commercia Ciuitas haec vellet. Id aduersus contagia remedium esse excogitatum: placereq; ita Gubernatori Vrbis, & Consilio Secreto, Senatuique, & Tribunali Sanitatis, ac Tribunali Prouisionum, & LX. Decurionibus: quae regia, & paterna nomina Vrbis susceperint hanc pro salute publica curam.

Interdictum commercium.

Quadraginta dierum hanc fore molestiam, exiliumque necessarium, & salubre simul. Ne quis interea pedem ab sui limine tecti efferret. Si qui secus faxint, poenae proponebantur, proscriptiones, & mulctae, & quicquid interminari maiestas, ac potentia dominantium solet. Necessaria interim omnia curaturam esse Remp. edictumque id secuta res ipsa est. Quo imperatum erat die manere domi coeperunt pauperes diuitesque:

& ta-

& tabernae clauduntur omnes praeterquam quibus annonae mercimonium ineſſet. Extant in actis nobilium eorum nomina qui in ſingulas regiones Vrbis praefuere muneri curaeq; huic, ne pauperibus annona deeſſet, quorum familiae regionatim deſcriptae erant.

Miſericordia nomen eſt ſodalitio Procerum qui ſub eo nomine vectigalia ampla diſpenſant ad ſummam annuam viginti quatuor aureorum millium, niſi quod hae clades, & turbae temporum multum de ea quoque ſumma pauperumque patrimonio diminuerunt.

In eius Sodalitij Aulam quotidie congregabantur electi, atque inter ſe conſultabant, vt inexplicabilium difficultatum nouos ſubinde nodos, qui ex alijs alij obijciebantur, expedire poſſent. Adiuncti eis fuere bini alij in ſingulas portas, pluresue etiam, vt in quaque parte cuique plurimum negotij incidiſſet. Ad ſingularum aedium limina deponebatur quicquid vel Reſp. dabat, vel ex agri fructibus ad quoſque portabatur, ſiue in Vrbe emebatur ex tabernis. Clauſae portae Vrbis: neque vllis aditus praeterquam eis qui annonae inferendae cauſa acceſſiſſent. Hique ſtatim vbi ad loca deſtinata tuliſſent

quicquid

difficultates.

quicquid illud, siue priuatim ad aliquos, siue publicè venale aduehebant, egrediebantur datis redditisque chirographis: neque intra moenia poterat eorum pernoctare quisquam.

Discurrentium, euntium, ad necessaria quaeque coemenda, & diuidenda cohortes electae, descriptaeque erant: hominesque eos data ab nobilibus nota distinguebat, ne impune aliqui tamquam è cohortibus ministerioque illo vagarentur. Institores, & propolae ad capita exitusque viarum, & in medio cursu passim erant, vt poma vinumque & genus omne ciborum accersere ex proximo quilibet posset: remissaque solita vectigalium fuere venditoribus vt emptori accederet id quod Reip. emolumenti peribat.

Tabernae, & cellae apothecaeque maiores, vnde haec ipsa mittebantur dabanturque venum, non nisi ab hora tertia ad solis occasum aperiri iussae: ita vt cancellis obiectis nonnisi perfusos siue demersos aceto nummos acciperent, purgareturq; sic liquoris acrimonia metallum. Quid in quaque domo fieret acciderетue: quae bona, quae infausta signa notarentur: quiue repente mortui essent: quiue ex insperato conualuissent: haec omnia cognoscere, ac referre, cura nobilium

aliorum

aliorum fuit, qui in ſingulas paroecias electi bini nouerant clauſas illas domos, dominoſue ſiue inquilinos & ſtatum earum haud ſecus quàm familiam quique ſuam: nominaque; & habebant relata in codices ſuos, & quotidie recognoſcebant.

Circumducebant medicos hi ſecum: &, vt de quibuſque ſenſerant pronuntiauerantue medici, retinebant intra parietes eoſdem, ſiue ad tuguria mittebant. Erat & arbitrij prudentiae eorum, cognita cauſa, poteſtatem facere exeundi, quibus ea neceſſitas incidiſſet. Et ſicuti cognoſcere, prouidere, referre iſti debebant: ita fuere alij principes fere nobilitatis, qui in vigilias etiam atque in acta horum inquirebant, habebantque, poteſtatem ijdem ad necem vſque animaduertendi in miniſtros viliores iuxtà, & in incluſos, ne illi, ſuo more, per furta & rapinas curationem exercerent, neue iſti exirent domo pernitioſeque vagarentur. Nobiles alios in ſuo quemque munere monitis & authoritate continebant. Par diſciplina etiam à Cardinale Archiepiſcopo adhibita eſt, & manſere Clerici ſub tecto quiſque ſuo legibus ijſdem. Eius prudentia ſanctitateque Cardinalis inſtitutum quoque fuit, vt ad euitanda

tanda otij mala, quae velut aegrum corpus alia ex alijs ſubinde gigneret deſes intra parietes vita, feminis viriſque ſeptenae per horarum ſpatia precandi vices ſeptenaque ſigna obſeruarentur. Eaque precationum diſciplina quotidianuſque ritus, & expectatum ſubinde ſignum ad id proderat, vt, & animi ſemper aliquid piè cogitando, atque agendo occuparentur, & propitiari interea poſſet Numen.

Ad ſatellitia cuſtodiaſque caeteras, quae peſtilentiae cauſa iam in Vrbe erant, additus circitor Vrbis, qui ſeparatus, ac proprius horum quadraginta dierum eſſet. Circumibat iſte cum ſua cohorte viſebatque domos ipſa obſeruans veſtigia ſi quis abſque ſingrapha exiſſet. Tenebat manu virgam ſupplicij praeſentis minas in delinquentes atque deprehenſos. Sed & furcae ſtetere fixae per vias. Volueratque Gubernator Germanorum quoq; cohortes in ſingulas portas dare cuſtodiae cauſa: ſed excuſauere Decuriones imparem ſumptui Remp. & onera alia, quae ſuſtineri non poſſent.

Abijtque mox ille cum familia ſua Vigleuanum eductis ſecum è Conſilio Secreto primoribus aliquot, qui conſilium ei intimum

ad

ad omnia erant. Regimen, & summa rerum Imperijque in Vrbe permissa Raynoldo Praesidi Senatus, & Gabrio Serbelloni est, quibus non alij potiores ea tempestate habebantur. Ille peritia legum, & facto ad leges animo, hic militari laude, & vterq; dignitate vitae praecellebant: magnumque Serbelloni nomen, & inclyta facta temporum eorum annalibus perscripta extant. His institutis, atq; tali rerum forma quadraginta dies decretorium explorandae pesti tempus inchoantur, & exactum ad finem vsque spatium est constantia & ordine maiore, quàm sicuti nostris temporibus eadem suscepta, deinde conturbata, & omissa res fuit.

Initium agendae rei more maiorum sumpsere ab superûm cultu: Castillioneusq; Senator, cui regio Portae Vercellensis, facta inter patres diuisione regionum Vrbis, tuenda, & curanda obtigerat, author fuerat, vt in Diui Francisci templum conuenirent ad Sacram dapem: conferrent in comune pecunias, vnde pauperibus benignè fieret, atque vouerent, quotannis id ipsum esse facturos, cuiusmodi votum fuisset etiam anno 1624. in tali funere pene Ciuitatis Reipublicaeque totius.

Coepta igitur in hunc modum, dein procedente

dente diaeta, corpora quidem hominum, velut animalia venenata caueis inclusa tenebantur ne consociarent inter se, neue transmitterent virus : & vbi in domestico exilio, atque in carcere hoc populi exulantis apud suos lares, signa aliqua morbi extiterant : supellectilia generum omnium, & quicquid domestici instrumenti tangitur ab corpore humano, tangitue corpus, quicquidue etiam adspectu halituque ipso contaminatum esse posset, purgabatur expiabaturque : & purgandi expiandique fuit ars, quam Mediolani verè natam hoc tempore seu inuentam gloria infelix Vrbis est : consignabiturque litteris etiam hisce infelicibus ars ea, non sanè vt caeterae inuideant Vrbes, sed vt transferre inde aliquid possint ad suos vsus & gratiam habere Metropoli, si tempora inciderint haec queis etiam inuidia mortalium finitur.

Notabatur statim funesta illa facta domus eiusmodi signo vti dignoscerentur, vitarenturque pestiferae aedes sicuti pestis ipsa. Extracto per Monatos cadauere, deductisque extra Vrbem ad tuguria aegrotis si qui erant, eijciebantur in viam, siue in impluuium capsae, & scrinia, totaq; supellex eorum. Non nisi testatò, non nisi monitis atq;

accitis

accitis quorum ea cognitio, aperiebatur, tollebatur, mouebaturue inde quicquam. Pecuniae quod repertum erat, deferebatur ad Franciſcum Homatum publici tunc aerarij cuſtodem, depoſitaque apud eum haec pecunia manebat in id tempus, quo reſtituenda foret. Viliſſima quaeq; cremabantur: caetera Monati exſcripta, & exſignata accipiebant, atq; ad lauacra portabant, conuoluta, & colligata ſeparatim, vt ſuo quaeque ritu purgarentur. Ingreſſique aedes alij Monati nitidi ſcilicet purique cum ſtoracis & thuris piciſque copia adolebant inhoſpita tecta parieteſque foedatos: lixiuioque ſimul & calce cuncta proluebant, quaſi diſijceretur, elueretur ita, rumpereturue peſtis. Eiuſque mixturae ratio ſeruabatur haec, vt librae ſingulae thuris, & ſingulae picis conijcerentur in flammas: & medicatus vtrinque vapor per tecta diffundebatur. In ijs, quae purganda portabantur ad aquas, inſcriptum erat, cuius quaeque eſſent: ſchedulaeque praeferentes nomina per Monatos eoſdem ſingulis adſutae faſcibus monſtrabant dominos, quibus reſtituenda ſua cuique ſupellex & mercimonij genus omne erat.

Domus purgatae fuerunt octo M. nongentae

gentae quinquaginta tres : familiae iv. M. ſexaginta ſex & praeter impendia per domos facta priuatim ab ijs, quorum intererat manere & conſeruari & pura eſſe haec, inſumpſit Reſp. in ſubfumigia purgationeſque iſtas librarum centum viginti M. Serici infecti rudimenta quae ſaliuant nentque bombyces donec intra opus ipſi ſuum incluſi quieuere, haec turpis & foetida officina vermium datura ſplendorem, & lucra corporibus officiniſque vrbanis, impoſita cratibus, facto, & ſubiecto è carbonibus igni, addita in ignem mixtura temperabatur vapore fumoque illo ne teter inſitus odor nidorue noceret.

At facti iam ſerici fila, veſteſque generis eius in ahena conijciebantur feruentia medicaminum eorumdem acore: & illic, vbi feruebant fiebantque iſta, probè circumcluſus, & ſeptus vndique locus erat, ne emptus ille pretio fumus, & ſocius fumi calor, abſque effectu, fructuue vllo euaneſceret atque diffugeret in auras. Sic & auri argentique fila purgabantur. Goſſipium veſteſque goſſipinae, lanaeque omnes, niſi ſi iam imbutae oleo eſſent, feruido, dein gelido liquore demerſae, repetitis vicibus, cogebantur ſaniem relinquere ibi, quàm antea ebibiſſent.

Lini

Lini canabiſque infecti manipuli faſceſue demittebantur in profluentes aquas atque per triduum in viuo amne relinquebantur. Textilia omnia fumo odorato adoleri ſatis viſum. Pellium, aliae tradebantur igni, quae nempe viliores erant: aliae conijciebantur in calcarias cupas: aliae, quarum pretium & damnum, ideoque cura maior, concalefacto ſuffimentis ligneo vaſe, ſupra id circumagebantur in verſatili machina ne periret ſua mollities & gratia pilo, ſaluaeq; poſt aerumnas etiam delitiae manerent, neue quid noui periculi ſub delitijs mollitieque illa occultaretur. Codices, aduerſaria libri, & bibliothecae ipſae, quodque chartarum in apothecis, in tabernis, apud notarios, apud leguleios, apud medicos erat: coria quoque & plumae, & tomenta, culcitrae, lectulique omnes, & tabulae pictae & metalla, & quicquid aliud in aliquo vitae vſu, ſiue in aliqua ſtudiorum aut delitiarum parte mortalibus eſt, purgata omnia, deterſa, excuſſa ſalutaribus iam auris ac ſerenitate Coeli, liquoribus, odoramentis crebris, reperta ſcilicet arte, ne dum purgantur iſta perderentur, atque interea dum ſaluti conſulitur, etiam vitae cultus maneret.

In

In lauacra aedificanda, emendasque fabricae eius causa areas, aedes, situsque circumiectos, insumpsit Resp. librarum viginti quatuor M. Gransolietus, & Spinula Genuenses talibus animis esse debuerunt, quales ex eadem patria animos, ceu miraculum tulit huc etiam aetate nostra Lomellinus largitor ille pecuniarum adeò effusus vt modestia accipientium laboraret: imò, vt ne possent quidem accipere nisi immodesti. Et donauere isti quoque Reip. nostrae pecunias: & empta ex Laudensi agro cibaria vendidere pretio pauperibus nostris eodem, quo emerant ipsi inuexerantq; in Vrbem: & quaestus institorum importunos, imò & suos ad Ciuitatis alienae vtilitatem ita transtulerunt. Et aemulatae peregrinum id decus singulae Paroeciae Vrbis, turpeque existimantes, si vincerentur liberalitate externa, & non potius vincerent ipsi hanc, suos quaeque pauperes sumpsere alendos, atque publicum onus in sese auerterunt.

Quadraginta dies experimenta pestis, ordine hoc atque hisce ciuium externorumque liberalitatibus agebantur: & nondum eius spatij dimidium exactum erat cùm sentire coeperat Ciuitas remedij vim, & praesens inde

inde leuamen : atque vnà cum eo quadragenario ciuium ſceſſu procedebat ſpes inchoata ſalutis, morbuſque ſeneſcebat: notabili temporis ac peſtis vtriuſque differentia, cùm in noſtra numquam ſuccedere peſte potuerit hoc, vt ad extremum vſque ſpatij eius, vel obſequium, & patientia plebis, vel Reſp. ipſa duraret.

At apud maiores, non perſeueratum modò in incoepto fuerat, ſed etiam, cùm ad ipſum periculi terminum & quadrageſimum illum fere diem, latitando ſcilicet, & carendo luce communi perueniſſent, orſi rurſus à primo die, quadraginta exegere alios, quò acrius exploraretur, introſpiceretur que malum inſidioſum fallaxque ſemper, & capitaliſſimi hoſtis more modoque, non induciarum modò fidem, ſed pacis quoque pacta contemnens. Sic & Gubernator ipſe mandarat cùm ad Vigleuanum hoc tempore ſederet, ſcripſiſſentque Decuriones ad eum ſalubria fieri cuncta, & abire peſtem.

Noua Reip. vectigalium facta venditio eſt ad ſummam librarum ccc. M. coactique priuati, ſicuti prius emere vectigalia eiuſmodi, conditione ſcilicet ea, vt quandocumque vellet populus poſſet pecuniam

reſti-

restituere emptoribus, atque in perpetuum recipere, quae praesens necessitas alienari vendique coegisset. Certauere municipia pagique proximi cum longinquis munificentia & caritate erga Metropolim ad veterum coloniarum penè instar, quae pateras aureas misêre Romam, vt afflictis Imperij rebus tenuitate sua subuenirent.

Ab Casale maiore mille vasa vini venerunt vnà cum eius Reip. legato, qui donum id Reip. nostrae offerebat ornabatque verbis etiam in hunc modum. Scire Casalenses, metropolim suam dominamque Mediolanum, in eo laborare, vt suppeditaret alimenta tot pauperum millibus, quos pestilentia domi clausos, & abductos ab opere quemque suo teneret. Proinde misisse ex agri sui fructibus in Vrbem id veluti tributum, & missuros alia deinceps quae ibi nascerentur, quaeue efficere & conferre ipsi possent. Orare vt hosce vini cados acciperent libenter, neq; ex re ipsa, sed ex offerentium animis, ac voluntate aestimarent munus, quomodo Senatus etiam populique Romani maiestatem erga Coloniarum obsequia motam fuisse veteris memoriae monumenta testarentur.

Decu-

Decuriones, accepto munere laudauere nobilis municipij comitatem, & fidem alijs quoque Reip. temporibus egregiè cognitam atque testatam, & honori postea Casalensibus ea res apud Senatum etiam fuit. Collegiumque Iudicum, quod seminarium quasi Senatorum est, isque nobilitatis, & prudentiae flos Mediolani habetur, in disponendo munere, quod multi petebant, Casalensem hominem antetulit ob id meritum eamque praerogatiuam quia ex municipio illo esset.

Haud multò post, municipio ab eodem, leue sanè dictu, sed ob aegra pauperum corpora gratum Principibus etiam, & amabile donum venêre mille pulli gallinacei, quos ita sicuti erant caueis inclusos ad tuguria portandos illico diuidendosque mandauere. Commune loci eius fecerat comiter munificeque hoc erga laborantem afflictamque Metropolim, & grata perinde ac debuerat munificentia fuit.

Augebant apud Decuriones recentis meriti gratiam antiqua decora Oppidi, & iam inde ab veterum Romanorum temporibus continuata nobilitas magnarum quoq; Vrbium honoribus par. Considerata Othoniano bello castra

maiora

maiora fuiſſe haec. Id maioris famae principium, celebreque apud Romanos etiam nomen: poſtea ſemper claruiſſe litteris & armis omnique honeſtarum artium cultu. Subibatque memoria inprimis: hoc illud eſſe oppidum, vnde Ciuis inclytus Ioanninus Baldeſius nomine, quaſi trigeminorum illorum vnus, in quorum dexteras permiſſa olim ſumma Romani Imperij fuit, congreſſus ſingulari certamine cum Henrico Henrici Caeſaris filio Cremonam obſidente diremerit bellum, cui bello Mediolanenſes pro Coloniae libertate adfuerunt: & percuſſo in mortem hoſte victor, impoſuerit tributo finem, quod Imperio Cremonenſes annuum pendebant: vnde & ſtatua liberatori poſita eſt, quam anniuerſaria die ciues eius Vrbis iniecto rubri coloris paludamento recolunt celebrantque.

Aderat iam finis peſti cladique maiorum. Et pietas curaq; apud illos eadem fuit, qua cura, & pietate noſtra inſatiabiliter aetas in calamitatis fine perſeuerauit, & venerari Numen ob ſalutem acceptam, & ad clementiam diuinam adiungere ſuos quoque conatus. Et vota, quae nuncupata fuerant, ſicuti perſoluimus nos, ita perſoluerunt illi prius. Et quoniam inciderat S. Sebaſtiani dies in

ipſum

ipſum ferè terminum quadraginta dierum; qui ſemel exacti inchoatique rurſus praecipitabant ad ſuum iam in ſpe optima finem: ipſo peruigilio diei eius, ſolenni ſupplicatione tulere ad Martyris Aram ac poſuere ibi pyxidem cum ſacro oſſe cui votum id opus abſolutumque erat.

Interfuit ſupplicationi Gubernator Prouinciae Aiamontius, non alia magis cauſa profectus ab Vigleuano ad Vrbem, quàm vt ſolenne id obiret. Interfuere Senatores Decurioneſque XII. fecitque D. Carolus ad eandem Aram: atque ex eius manu Sacramentum Euchariſtiae ſumpſere quotquot aderant: ſed cauerant prouiderantque illi, quod noſtri temporis proceres, aut non viderunt aut neglexere cùm vidiſſent. Quippe vetuere congregari in templa populum: exire domo plures: fieri agmina per vias: aliaſq; alijs prodeundi horas, alios dies, alia demum non ſupplicandi modò, ſed rerum quoque agendarum tempora praeſtituerunt, quae nobis non obſeruata temporum deſcriptio, confuſaeque vices, & promiſcua inter ſupplicationes multitudo, corporaque corporibus aggregata dedere peſtis etiam ex religioſo pioque diſcurſu ſementem. Eos, qui metu ſeceſſe-

seceſſerant in villas, fugerantque in agros, vetuerunt redire in Vrbem, cùm miteſcente peſte redirent quotidie aliqui eorum, accederentque ad portas vnde irriti excluſique dimittebantur.

At noſtra aetate profugi iſti nobilium vltrò etiam reuocati ſunt, propoſitaque inſuper edicta in contumaces. Caetera in ſalutis limine par diligentia nobis illiſque fuit: & in ſpe noua noui quoque ad ſalutem conatus, vt benignitati diuinae induſtria etiam hominum ceu miniſtra adeſſet. Laborare peſtilentia Cenomanos, Vrbemque Brixiam demerſam teneri malo eodem, ex quo Metropolis haec iam penè emerſiſſet cùm allatum eſſet in Vrbem, vetuere quicquam commercij eſſe cum hominibus Vrbis gentiſq; eius: & non modò edicta in id, ſed cuſtodias quoque oppoſuere. Id ipſum in Ticinenſes paulò poſtea factum ob eandem de Vrbis illius peſte famam. Perculerantq; iſta vehementius Gubernatori Hiſpano animum, ne clades iam depulſa rediret. Nam & Praeſes Montius anno iam exacto ſuo, abierat Magiſtratu, ſucceſſeratque Brugora nouus ad huius vigiliae munera Senator. Cautum edicto Regio, vetitumque ſeuerè eſt, ne qui admitterentur etiam ſi teſ-

ſeris

ſeris inſtructi venirent. Permiſſa Gabrieli Cerbellono poteſtas admittendi quos ipſe vellet: nec niſi prolato chirographo eius poterat ingredi quiſquam. Templa quoque aſſignata nominatim fere iuxta pomerium Vrbis quae pietatis ſimul & animi gratia adirent, alia viri, alia feminae. Sic Medici ipſi cenſuerant, dandum eſſe laxamenti aliquid, vt ex carcere diuturno reſpirarent: neque tamen permixti iunctique ad loca omnia temerè vagarentur.

Velut è caueis emiſſae aues contineri non poterant, pueri feminaeque praeſertim: rumpebatque leges laſciuia ſexus atque aetatis indocilis legum. Ideò clauſtris cuſtodijſque nouis opus fuit: & cohibitae rurſus intra domos feminae nonnullae puerique earum. Non laſciuia modò, ſed petulantia maior in Gregoriano Lazareto durabat: atque coniecto illuc in vicina arua quicquid infelicium in tugurijs Lazaretiſque alijs fuerat, nec non inſtituta iuxta Diui Dionyſij aedem hoſpitali domo curandis mollius, alendiſque multis, qui ex malo conualeſcebant iam atque reficiebantur: permixtoque aegris impuro praeſertim, & ſpurco Monatorum genere: ibi veluti ſcelerum flagitiorumque omnium ſeges

ges extiterat, quae, ſicut aegra diutino morbo corpora morbos ſubinde nouos ſibi gignunt, ita ex conſuetudine & conuictu hominum illorum nata erant, & tuguria ſiue cubilia verè ſcelerum illa diceres. In ipſo peſtilentiae fine inter exordia publicae ſalutis vomica adhuc foeda haec Vrbi erat: quali ſcilicet labe corrumpi, & deturpari Lazareta vidimus etiam nos infandaque multa fieri illic, & nihil omitti eorum, quae turpiter aſſidue inter mortales fiunt.

Magiſter, & Rector, cenſorue, & Iudex cum ſumma poteſtate inuentus datuſque eſt vnde minimè quis crederet: & vnde tamen aetas etiam noſtra inuenit habuitq; Frater Paulus à Brixia fuit è Capucinorum ordine, ad alia ſimilis Fratri Felici: ad alia, per ſeueritatem aſperoſque mores, & quandam ex Patria ferocem indolem etiam aptior muneri. Hunc Diuus Carolus Lazareto temporis eius praefecerat: & durauere ad noſtram aetatem, qui narrarent Fratris Pauli ſatellites, carnificeſque, & patibula equuleoſue, armatumque ipſum, & vultu pariter ac iudicijs decretiſue minacem ſemper, ac trucem: quale ſpectaculum, qualemue Franciſcani hominis in Magiſtratu cucullòq; perſonam neceſſitas &

conditio

conditio temporis dabat. Et censor quidem ille castigauerat represseratque libidines, & furta, & vitia caetera illa erumpentia assidue ex miseriarum egestatisque cauernis: intra cauernas verò easdem spectaculum interim aliud haud minus admirabile erat lasciua illa, proterua, nuda multitudo accipiens subinde tunicas, & lodices è Pontificis domo quae mittebantur.

Namque D. Carolus, quemadmodum in eius vita exposui, peristromata, & aulaea, & genus omne stragulae vestis omnesque fortunae principalis apparatus iam inde ab Auunculi Pontificatu temporeque illo Romanae dominationis aulicorum diligentia accumulatos, atque conseruatos, aut vendiderat, vt tegumenta aliqua miserrimis hisce pararentur: aut conscindi repente diuidique in eosdem iusserat. Mirareturq; & rideret aliquis cernens illic nitentem Aulae cultu plebem, purpuraque & serico, & omni alio pretioso textu contectos: quibus ea raptim facta segmenta obtigerant. Fuere, & ciuium, mercatorumue ditissimi, qui millenas in haec Lazareta lodices mitterent. Resp. in squalorem hunc nuditatemque plebis insumpsit lib. VIII M. cùm neque tota pestis, neque tota salus,

ſalus, ſed quiddam vtrinq; tertium, & proximum ſaluti, & procliue ad perniciem teneret animos alterna ſpe, alterno metu, ſimulque pudore priſtinae dignitatis, ac munificentiae cui par iam non eſſet tot ſumptibus exhauſta Ciuitas. Sub anni finem, non ſolùm purgata malo Ciuitas, ſed etiam purgati ſuſpicionibus animi ciuium conſiſtere demum in ſpe ſolida, & certo aliquo vitae ſtatu coeperant: ac de liberanda iam Vrbe agebatur, tentante rem eam, & vrgente Senatore Mazenta Praeſide, qui Praeſidi Brugorae ſucceſſerat, eratq; totus in eo, vt intra praefecturae ſuae annum tuguria demum omnia conuellerentur, ac ne veſtigia quidem vlla funebrium earum domorum extarent.

Expectata eſt ipſa D. Sebaſtiani dies: eoq; die, per edicta, per praecones, inter feſtos quoque reboatus, & laeto ſonore bombardarum, atque omni publica gratulatione promulgatum eſt: Vrbem Mediolanum clementia nutuque diuino, Beatiſſimae Virginis ope, deprecatione superûm, ac deprecante praeſertim Martyre, Ciueque Sebaſtiano eſſe peſtilentia liberatam, redditamque ſibi, redditam commercio Vrbium aliarum. Licitum fore iam omnibus egredi domo, redire domos, frui

libertate

Descriptio Letitiæ.

libertate pristina, & iure coeli lucisue communis. Sic authoritas publica promulgarat, & solenni eo antiqui Ciuis die velut natali Vrbis triumphatum exultatumque est. Nox insecuta dies alter fuit, ob luminum accensorum toto Vrbis sinu, ambituque solem. Ex pergulis, ac fenestris culminibusque tectorum, per fora, per vias copiose haec lateq; micabant: & nocturnus planè Sol is videri potuit. Narrauere superstites: ne clamosiorem quidam vmquam illa D. Sebastiani nocte fuisse diem vllum, cùm & palata tota per vias quantacumque superfuerat multitudo cieret laetis vocibus adoraretque Diuum: & tympanorum strepitu, clangore tubarum cuncta resonarent.

Acta Mediolani haec anno CIϽ IϽ LXXVI. immortali illo, inclytoque in omnem memoriam titulo, quòd D. Carolus tunc Populo Pastor erat. Isque Populum in ea clade sustentauit coelesti suo spiritu, laboribus & pietate Cleri, quem ipse instituerat, Ordinumque caeterorum, ac praesertim ardore Patrum è magna Societate Iesu, qui tunc Ordo futurus postea tantum Ecclesiae lumen, & tantus ad omnes late gentes honestatis ac litterarum sapientiaeque magister, aderat fere

adhuc

adhuc tyro, & coeleſtia apud Pontificem hunc rudimenta ponebat.

PRAESIDVM NOSTRORVM NOMINA REPETVNTVR: MINISTRI CAETERI QVAM MVLTI FVERINT INDICATVR.

INTER duas haſce clades, priorem nempe poſterioremq; peſtilentiam, notata iſta ſunt, vel adeò ſimilia inter ſe, vt res penè vna videri poſſet: vel adeò diuerſa, vt ne comparari quidem conferriq; potuerint. Nunc illud ſuper omnia maxime notabile occurrit, quod ne aliter quidem accidere poterat, quàm ſicuti euenit, non caſu ſorteue aliqua, ſed conſtanti ac perpetua ſucceſſione domorum Illuſtrium Vrbis, ab quo perenni fonte, magiſtratibus honoribuſque capeſſendis, iam inde à principio rerum, idonea capita exiſtunt. Foretque ſanè etiam in luctu iucundum hoc, inſpicere atque contemplari inter prioris peſtilentiae curationes & munera filios nepoteſue nobilium, praeferentes auorum patrumue nomina, qui munera prius illa geſſerunt, ſi nomina ſingulorum recenſere poſſemus.

Tenuit regimen & in medio peſtilentiae feruore publicae ſalutis habenas, atque in eo

funebri

funebri Imperio mortuus est è Patrum numero sicut retuli M. Antonius Montius Senatoris filius & Senatore Praesideq; item Auo, Cardinalis Archiepiscopiq; frater, qui tanta per terrarum orbem hodie fama regebat Populum Ecclesiamq; hanc. Vix dum Senatoria aetate factus erat ab Rege Senator ob sapientiam notasq; virtutes, sed & propter merita maiorum. Mortuus est in flore aetatis, & non modò populari fauore, sed etiam apud primores, finita inuidia defletus. Augebat dolorem, quòd exigua liberûm relicta stirpe decessisset. Gratia quoque & dignitas oris, & elegantia ingenij partem huius publici moeroris trahebant. Incusauere lugentes id quod in hoc iuuene sempiternum ad laudem & maxime gloriosum fuit. Namque generositate insita velut calamitati iratus obtulerat sese periculis mortemque quaesisse videbatur.

Praefuerat è Patribus item ante hunc rexeratque primos pestilentiae menses Archonatus, natu maior, nondum tamen ingressus ille senectam, pari erga miserias Vrbis animo, pariter etiam ipse prospiciens, nec sanè formidans imminentem sibi exitum, aliquando vitabundus, & rursus intrepide vadens praesensque ad omnia, quae munus illud terribile

ribile ferret. Extinctoque Montio superstes, precibus & obtestatione Senatus extra ordinem obibat vigiliam iterum eandem, quia non potior alius, neque par ei vllus habebatur: & euadere non potuit. Mortuusque reliquit Patriae desiderium sui, quantum suo quisque malo & pauore sopiti ciues sentire potuerunt: sed sensere maius acriusque tormentum ex ciuis & Senatoris huius interitu posteaquam è periculis damnisque suis emersi ad circumspicienda etiam publica damna erexere animos.

Nota Viri nobilitas familiaeque nomen, quod augere & illustrare ipse potuerat, si non ei contigisset, vt tam illustri loco nasceretur. Tanta morum & vitae dignitas ei: tanta peritia legum, comitasque & mansuetudo & beneficentia erga omnes. Per gradus fere singulos, quibus ad summa peruenitur, dato in minoribus magistratibus experimento, factus erat ex rerum capitalium praefectura Senator: ibique pestis rabida florem hunc alterum Patriae decussit.

Praesides, qui successere alij, ad aemulanda priorum decora, nomenque, & ingens, & Ciuitati gratum, sanè accendebantur. Sed nequaquam materies, & occasio inlarescendi

eadem

eadem deinde erat. Quippe inciderant in peſtilentiae fere finem: & fere vna eis cum peruerſitate, ac nequitia Monatorum, ſiue cum ſordibus & auaritia ſimilium hiſce pauperum colluctatio erat, ne iſti occultando ſcruta, & flammis eripiendo ſtragula, ſcruta, ſubuculas, lintea, lodices, quaeue alia ob contagium cremari oportuerat, alerent reducerentue peſtem. Ac Praeſidi Vicecomiti inprimis ea infelicium auaritia, negotij multum dedit: vt coercendis puniendiſue iſtis, & reprimendo impudentiſſimo mercaturae genere, quod in nouam Reipub. perniciem penè haud ſine diuinae clementiae contemptu palam, ſiue per occultum à pluribus exercebatur, occuparetur illud ſublime ingenium.

Erat Senator Praeſeſque hic ex veterum Principum Vrbis genere, ac ſtirpe: ſpirituſque proinde gerebat ad omnia ſumma erectos atque intentos, quos in hoc humili negotio magnifice, ac ſplendide explicauit, atq; autoritate ſui nominis, & horrore poenarum prohibuit redituram ab viliſſimarum rerum contactu traiectuque peſtem. Antiſtes hic alioquin iuris ciuilis, & aeui noſtri Scaeuola Pauluſue habebatur, ſiue quilibet alius eorum, quorum reſponſa, & reſcripta bonis olim

latinae

latinae linguae temporibus condidere leges.

Non alia inter ſapientes fama Praeſidi à Baſilicapetri qui repullulanti poſtea in media ſecuritate circa Larium malo radices fibraſque recidit, & accolas, ne contraherent mercimonia vndaeque illae peſtem fraenauit. Seueritas & rigor aderat viro, roburque, vel animi, vel corporis tunc ad omnia indomitum: vnde, & non immeritò litterati homines in ſermonibus hunc aſſimilauere ei, quem antiquitas ferrea inteſtina habentem Graeco eius rei vocabulo nuncupauit. Manſuefecit in Praetura Cremonenſes. Accuſatus apud Regium Cenſorem abſolutuſque à Rege eſt non ſine eorum nota, qui accuſarant.

Bieren inteſtin

Ad pia opera penè prodigus auri templa extruxit: quotidiana ſacra inſtituit aſſignauitque cenſus annuos vnde fierent. Aliquot millia nummûm aureorum inſumpſit templo, quod poſuit apud cognominem familiae ſuae pagum: cognomenque id familia ab Apoſtolicis vſque temporibus ex eo praefert, quòd ad condendam Apoſtolorum Principi Petro Baſilicam areae ſpatium Pontifici Vrbis Caio conceſſere maiores. Hos animos atque robora Praeſidum, & ſubſidia profectò

haec

haec illo pestilentiae tempore habuit Vrbs. Caetera Decurionum & Procerum nomina, quos Decuriones ipsi Proceresque adhibuere si referre velim, nominum, ac titulorum profecto volumen efficiam, nec ideò vniuersa cumplectar: opusque fatebor adiri non modò inexplicabile ingens, sed odiorum etiam, & inuidiae plenum, ob eos, qui praetermissi erunt.

Sic & vates Homerus, cùm diffideret posse recenseri copias, copiarumque duces, qui ad bellum venêre illud, inuocauit noto carmine musas suas vt recenserent ipsae, numerosque inirent. At mihi optandum esset, vt ingenium, & facundia maior, non modò numerum istorum, sed vim etiam, spiritumq; & egregia facta, certaminaq; pietatis inter ipsos, & obitas denique mortes referret. Mansere in Vrbe cadaueribus immixti: obiere rura regionesq; funestas non secus ac domum quisque suam: obiere sepulchra: obiere legationes: in castra iuerunt, publicisque necessitatibus viritim etiam insumpsere opes.

Nec sine laude gloriaque sua reliqui Ciuium, negotiatores diuitesque plebeij, & minor haec obscuriorue nobilitas, quae maiorum gentium illos saepe nobiles superare

diuitijs,

diuitijs, aequare virtutibus ac vitijs assueta, in hac praesertim Vrbe semper vtrinque par illis, hoc tempore dedere egregium sui specimen. Nominaque etiam horum, & necesse nunc est omitti propter multitudinem, sicuti dixerat quidam olim, Aegaei Maris Insulas, referendi taedio in numerum aestimationemque permitti: & meruerant ipsi tamen vti noscitarentur. Fuere ad Lazareta dispensatores ijdem & quasi principes: Nutriere corpora simul, & illa mortis domicilia gubernauere principum ritu: & mandata omnia procerum exequendo, subsidia rerum afflictarum verè fuere, non prudentia solum & industria, sed pecunia, quod tunc rerum haud dubie caput erat.

DE SENATV ET PRAESIDE SENATVS, QVI HOC PESTILENTIAE TEMPORE FVIT

In hoc autem magistratuum & ciuium certamine, & quasi ambitione ad Patriam velut ex funere eripiendam: & in hoc negotiatorum etiam certamine ad munera iniuncta obeunda strenue ac fideliter: in Imperio hoc, & in Rep. pestis & mortis, alte imminebat omnibus praeeratque summa potestas

&

& vigilantia Ordinis, cui nominis ſui magnitudinem atque faſtigium ipſa Regis Maieſtas credidit atque delegauit. Potentiſſimumque Regem hunc Ordinem nuncupari inſtitutum eſt egregio temperamento ad continenda, & quaſi placanda ſtudia humanae ambitionis ordinumque caeterorum; ne qui cum Regio Senatu cettare dignitate loci vellent. Sicut excubiae publicae ſalutis, aerariumque Populo morienti ſimul, & eſurienti fuerat illud toties iam in hac tota narratione memoratum Generalis Conſilij Tribunal: ita ſubſidium, & Ara aduerſus veneficia terroreſque veneficiorum fuere Patres. Apud eos iudicia, & poenae exercebantur tanta moderatione, ſimul, & ſeueritate, vt, ſi verè fuit illud in Vrbe flagitium, non potuerit is ordo clementius agere quàm ſicuti egit vna puniendo morte reos & non canibus feriſue obiectando lanianda corpora eorum: ſin autem ſuſpiciones, & indicia tantummodo flagitij extitere de quibuſdam, non potuerit eiuſdem Ordinis prouidentia eſſe maior quàm fuit ipſa etiam puniendo ſcelerum initia, quae ſuſpiciones haſce praebuere monſtrificas, & inhumanas.

Queſtioni de veneficijs & vnguentis è Patribus

tribus praefuere Picenardus, & Arias: ille olim in Ticinensi Gymnasio primus interpres, sed & apud Gymnasia caetera, fama & nominis celebritate primus: postea Senator: inde Magistratus Ordinarij Praeses: denique creatus in Supremo rerum Italicarum Consilio Regens, excusata senecta, Patriae & quieti relictus benignitate Regis. Arias erat in florida adhuc aetate studijs, & indole comparatus magno seni huic: nobisque etiam ad scribenda bella temporum horum omnia suppeditabat, vt haec historica res, & notitia consiliorum, & narratione casuum, & iudicij quoque nostri de maximis rebus explicatione ditior auctiorque fieret. Perseuerauere vterq; in suo munere, non strage populi, non casibus deterriti suorum cùm vnctae familiae fuissent ab ijsdem in quorum veneficia domini inquirebant.

Fuit hoc pestilentiae tempore Princeps Senatus Io. Baptista Trottus Senatoris Camilli filius, Aluysij nepos, qui Francisco Sfortiae adeò probatus intimusque fuerat, vt ad disponenda consilia Principatus, ordinandumque Reip. statum, non alio magis vteretur. Ita de eo Viro incisũ est in lapide, quem Praeses ipse, Auo, & Patri, numquam omissa maiorum suo-

rum

rum recordatione ponere statuerat in Basilica D. Marci, cùm familiare sacellum instauraret ibi atque ornaret. Ab tali stirpe editus hic Praeses Senatus erat. Atque tot publicè priuatimq; vinculis obligatus, & memor hinc auiti paternique nominis, hinc onerum, quae suae fidei ab Rege imposita essent, magnopere anxius nunc sollicitusq; agebat, non solùm, ne periret Maiestati Ciuitas, sed etiam vt eius conseruatae decus eximium vnà cum Ordine suo, laudemque opimam ipse haberet. Inter tantas exitij minas, in media internecione fere Populi, cùm & Magistratuum quotidie casus audirentur, & Patrum numerus, nonnullorum morte diminutus esset, omnique paulatim ipse domestico famulatu priuaretur, vix vmquam ex Vrbe discessit. Ac sicuti perseuerauit in sua statione semper: ita hortabatur assiduè Patres vti perseuerare ac manere vellent. Aiebat, esse Ordinem, qui non modò vicem & curas, sed nomen quoque Regis in hac Vrbe sustineret: esse Vrbem, vnde securitas & tutela penderet Vrbium Prouinciarumque aliarum: in quam Caesarum quoque Maiestas, & Imperij magnitudo semper intenta esset, vt & subsidia huc opportuna mittat, & subsidijs non minoribus

hinc

hinc ipſa iuuari poſſit aduerſus ſuos & Catholicae Religionis hoſtes. Aliaque, tum in Senatu, tum in quotidianis conuentibus quos domi habebat, diſſerebat in eum modum apud Patres, corpore ſublimis, vultu decorus, & raro, vel temperantiae, vel naturae ipſius munere, nihil imminuta propter ſenectam dignitate oris. Vidimus Secretarij Carnerij litteras ad eum, in quibus petebat & mandabat ille nomine Regis, vt perſcriberet totam ſuam de origine peſtis, ac de illa vnguentorum ſuſpicione ſententiam: ita viſum placitumque Maieſtati cognoſcere quid de ea re ipſe ſentiret.

Laus Pr... Trotti

DE FAMA DEPVLSAE PESTIS PER D. CAROLVM AC DE REGIA ARCA DATA CORPORI EIVS ET DE NOVA SVPPLICATIONE HABITA PER VRBEM

CAETERVM, inter tanta merita Ciuium atq; Magiſtratuum erga Metropolim afflictam, tantoſq; labores, inter tot diuina ſimul & humana remedia quaeſita malo huic, tot nuncupata vota, tot modis efflagitatam, & ſperatam è Coelo opem, ſpes vnica Populo ſemper fuit tantus ille Diuûm Carolus, & Ciuis, & pater,

ter, gloriaque & lumen Patriae ſempiternum. Credidere ſuperſtites, ac velut ab communi tumulo rediuiui ciues, funditus interituram fuiſſe Parriam hanc, niſi Paſtor ille ſua apud Deum Deiparamque gratia auertiſſet exitium. Credidere, totum in preces eo deprecante Coelum auerſum obtinuiſſe ſalutem Vrbi, nec aliter ſtare potuiſſe. Manauitque fama haec etiam apud gentes populoſque alienos, & cultus inde Diuo auctus eſt. Animum etiam erexere Reges erga Coeleſtium beneficiorum euidenti dextera diſpenſatricem illam animam. Ac Rex ipſe Regum obuerſus antea ſemper in magnum id nomen, motus hoc tempore eſt, vt arcam è cryſtallo, quam condendo eius Corpori fieri mandarat, approperari iuberet, quae dudum inchoata moles per triginta fere annos lente ad eam diem, nec niſi per interualla procedebat.

Anno ſexto demum poſt depulſam peſtem Vrbemq; liberatam conſummatum eſt opus: & ſtetit Arca, non artis modò, ſed naturae quoque miraculum, imago verè Solis, & digna, quae ſolem illum alterum circumferret, oſtentaretq; gentibus, quae ad ſpectaculum confluxere. Dum ipſi nos alioſque crucia-

mus

mus memorando bella caſuſq; funeſtos, ſanguinaria Regum diſſidia, coniuratos in Catholica damna Principes, & foederatorum inſultu conturbatam repentè Prouinciam Eccleſiamque hanc: Dum narramus redditos hoſti luctus, & fugam, & haec ſepulcra Gallorum: Dumque Hiſtoricum hoc Opus nunc ſtrenuè, nunc lentè procedit, magnopere ego recreatus ſum videns inter D. Caroli ſolennia nuper laeta iucunda incredibilia multa, qualia nec viderat vlla prius aetas, nec talia fortaſſe vmquam in poſterum ſpectacula mortalibus erunt. Vidimus in Templum illata dona Catholicae Maieſtatis nullis parabilia Regum opibus, niſi oſtendiſſet Numen abditas alias natura opes, vnde dona parari haec poſſent. Excita ſunt ab ſedibus ſuis municipia pagique omnes, & facta Vrbs eo die domicilium Prouinciae penè totius Vrbiumque finitimarum. Inceſſit miſtus Clero Sacriſque, & Inſubriae ſupplicanti Gubernator, Imperator exercituum horum poſito tantiſper bello armiſque abiectis: & obuerſa in ipſum ſtetere, tot millium agmina, tamquam manſuefacto ad haec ſolennia Hiſpano Marte ſiue bellico inſtinctu, qui apud gentes nationeſque alias nihil curat aliud praeter arma

ſua

ſua & caedes. Vidimus concitos ab Orco Daemonas, Orcumque ipſum ob tales Eccleſiae triumphos, deſperatione ac rabie commotum palamque intremiſcentem. Et ſpectatus interim atq; auditus in celebrandis Apoſtolico Spiritu Diuini Pontificis laudibus Pontifex Orator non ſucceſſor modò tertius iam hic ipſius, ſed plane ſimulacrum, atq; effigies. Haec mihi digna viſa ſunt, quae monumentis noſtris includerentur: atque ſubijciam

HISTORIAE NOSTRAE FRAGMEN.

IN QVO

DIVI CAROLI CELEBRITAS

ARCA DONVM CATHOLICI REGIS

POMPA DVCTA PER VRBEM.

ANNO M DC XXXVIII.

INTER consilia magnarum rerum expeditionesue paruas exacto sic fere autumno Gubernator Vrbis statuerat redire ad Vrbem, vt, quoniam omnia Regis & Imperij negotia feliciter ex animi sententia gesta essent, Superis etiam haberetur honos, atq; Catholicae Maiestatis nomine, caeremonia quadam & actione grauissima ipse defungeretur. Suberat namque dies, quo die D. Caroli memoriam Ecclesia Mediolanensis anniuersaria gratulatione concelebrat, effusis Populi studijs, & finitimorum vndiq; concursu, iam inde ab eo tempore, quo Pontifex Paulus, efflagitante praesertim Catholico Rege consecrauerat, addideratque Sanctorum numero id verè Coeleste nomen.

Et augebat hoc anno celebritatem, atque religionem, ac solita gaudia diei eius ingens Regale donum Arca, veterum Aegypti Regum aequiparanda monumentis, intra quam conditae Diuini Pontificis exsuuiae, auro, & argento, & crystallo lucidissima rerum naturae parte circumclusae, indicta ad id supplicatione, per Vrbem exquisitissima pompa efferendae erant, atque Populo ostendendae praesidium solatiumque simul. Indixeratque solenne id Cardinalis Archiepiscopusque Montius, inter caetera piacula coelestium irarum, quae per belli tempus hoc omne suscepit, nunc etiam erecto ad eam spem animo: posse D. Caroli meritis, & pietate Populi supplicantis exorari Numen, vt pacata consilia Regibus daret:

paxque

paxque demum ita conueniret, de qua concilianda humanis quoque consilijs tunc magna contentione agebatur. Hunc obire diem, atq; interesse supplicationi Principem oportebat; sanè ob Regis super ea re mandatum, sed etiam, quia votis & expectatione publica, & veluti ore omnium ipse exposcebatur. Stimulabat quoque pietas ingenita animum, quae nota Viri laus fuit, necnon gloria regij Operis, cuius absoluendi stimulator etiam ipse fuisset. Sub Velaschio primùm coeptum fuerat de facienda Arca cogitari: isque primus, & commendauerat Regi Reliquias hasce Pontificis: & mouerat tantae Maiestati curam, vt fieri Arcam erogarique pecunias iuberet, prout scilicet aliquot millia erogata statim, & sup-

peditata

peditata fuerunt. Longa deinde obliuio regij mandati apud Gubernatores alios etiam in pace fuit, & res veluti deserta iacebat. Guzmanus demum inter bella victoriasque suas, & inter ancipites Prouinciae casus, quaesiuit hoc etiam Coeleste praesidium, vt Tutelari Mediolanensium Diuo persolueretur inchoatus honos, & Corpus, quod eius magnae Animae fuisset, splendidissime collocaretur. Absolutumque ita opus multùm aucta dignitate & fama eius, ideo quia Cardinalis ipse Pontifex Vrbis flagrantissime amplexus Sancti decessoris gloriam, non modò excitauerat autoritate sua regios, vt mandata Regis in eo approperando opere exsequerentur: sed monuerat erudieratq; ipse artifices, qua forma & descriptione

expoliri

expoliri deberet Arca, nempe magnitudine & elegantia ingenij, & affectatione antiquitatis, talium quoq; peritus: vereque aeſtimantibus, ab ingenio Cardinalis haec Regia Arca cultior ornatiorque prodijt. Elegantia & magnitudo eius tanta eminet, vt manauerit fama haec inter peritos: nullas argenti, vel auri ſummas potuiſſe dare tale quiddam, niſi fauor quoque Numinis, tum erga Diui ipſius honores, tum erga munificentiam pietatemque Regis velut in parte Artis fuiſſet, nempe commotis artificum ingenijs, vt in conditorio hoc faciundo, ſe ſe ipſi artemque ſuperararent. Et Solis verè ſimulacrum Arca videri potuit haec, quali ſcilicet verbo Graeca elegantia olim vice voluminum in re ſimili vſa eſt: neque reperio

nunc

nunc ego aptius ſimpliciuſue aliud. Segmenta cryſtalli, vnde fieret, inuſitatae magnitudinis, ac lucis, lucidiora cryſtallo, ſorte quadam diuinitus reperta olim fuere. Narraturque caſus ad miraculi penè inſtar, non ſicuti mos eſt, vt operibus eiuſmodi portentoſis ac raris miracula nonnulla adijciantur, ſed ſicuti caſus & negotia caetera quae euenere referuntur in annales. Obtinente Velaſchio Prouinciam Vrbemq; hanc, artifices duo, quorum ille arte, ad opera quae in Regiam mitteret, facienda vtebatur, ſomniauere nocte vterque eadem: qua in rupe, quibuſue cauernis glebae praegrandes laterent ad id futurae vſui, vt opus fieret inter Catholici Regis theſauros, & inter Eccleſiae monumenta habiturum gloriam fa-

mamq;

mamque ingentem. Nomina artificum, Franciſcus Cingardus, & Angelus Benzonus fuere, atque perſcripta ſic in D. Caroli memorabilium Volumine extant. Re per ipſos ad Gubernatorem delata, iuſſu eius profecti iſti ad Glicigam in Valeſianos (id monti nomen, cuius oblata ſpecies per quietem vtrique fuerat) indicio paſtoris, qui circa rupes eas armenta paſcebat, reperere cryſtalli moles haſce ampliſsimae magnitudinis, quarum claritati & fulgori ſimile nihil vmquam vllae officinae vidiſſent. Additurq; miraculo admirabile inſuper illud: dum glebae moleſque iſtae ſecarentur, atque expolirentur, neq; vitij, neque incommodi quicquam extitiſſe, cùm ex eadem vena deſtinatae ac reſeruatae in profanos vſus

aliae

aliae, contumaces, operique difficiles, tum ſcaterent vitijs omnibus, ſcabro, ferrugine, nubibuſque maculoſis, & vomicis, centròue, & rubigine, & capillamento: tum verò etiam in machinas impoſitae frangerentur atq; diſsilirent. Deſcriptionem formamque Operis artifices in membranis exhibere non ceſſant lineari pictura, quae totum parteſque deſignat: talemque ipſe oſtendam. Sed & oſtendiſſe prius haec noſtra nunc ſuſcepta cura debuerat: qualis viſa mihi fuerit Arca, & quemadmodum viderim moueri caeteris oculos animumq; non modò propter materiae pretium & opificij pulchritudinem ſtatim vbi ex tenebris officinarum ea prodierat, ſtabatque vacua adhuc: ſed multò magis ob myſteria, & ſacros

quoſdam

quoſdam ab diuinitatè horrores, poſteaquam acceperat iam intra ſe Reliquias, & dilectum illud Coelo caput tegebat oſtendebatque ſimul. Nam planè, velut ab globo, ſiue ab fonte lucis exoriebatur copioſiſsimus vndique fulgor, qui ſtatim vbi coeperat aciem vtramque perſtringere, permulceret ſimul, atq; ſolaretur, confunderetq; rurſus, vt abſtinere nonnulli, & parcere oculis cogerentur. Tanta radiatio cryſtalli erat naturae gemmantis, tantoque lumine intermicabant ſtatuae bracteaeq; & cruſtae argenti effictae in facies humanas, & vermiculatae ad effigies rerum, ita connexis rebus, vt, & claritati auſteritas data eſſet: & repercuſſu claritates oculorum excitarentur: & variaretur vnitas apte ad id ne ſatiaret Arca

ad-

adſpectum, ſed impleret, facilitate translucida ſcintillans illuminanſq; circa ſe aera repercuſſum: atque haec omnia, temperamento, quod ſoli artifices intelligere poſſent. Subibantq; animi receſſus, & lumina frontis haec omnia ſimul. Admiratio proxima terrori, & mixta ſtupore, vndenam adeò admirabile nouumq; illud. Veneratio hinc erga nouitatis quoque maieſtatem. Mox deſiderium pariter, & verecundia contemplandi: & inter hoſce tam varios diuerſoſque motus ſocia voluptas: & in voluptate cupîdo maior: attonitique manſere omnes: & poſteaquam abire cogebantur, ſiue, poſteaquam Arca ſubtrahebatur ipſa, defixas in ea pupillas mentemq; reliquerunt. Et auertebantur interea animi ad magnitu-

gnitudinem donatoris Regis eodem momento contemplandam. Vndiq; Rex Philippus & Domus Austriaca, nomenque Hispanum sublatis altè vocibus resonabant. Viuere Regem hunc prolemque eius: florere Imperium; viuere ac florere Gentem ipsam misti nostratibus alienigenae precabantur, Ac didicerant etiam feminae comparatione vti, & infra Maiestatem hanc Reges ponere cxternos. Et dignitas ista quidem, atque magnitudo Operis eliceret ita plausus, atq; reuocaret ad spectacula saepius eadem vsurpanda, alienos etiam politicosue homines, si qui praesertim veterum Romanorum post tot secula reuiuiscere, & adesse possent, quibus videlicet studium & cura visendi, non extenderetur vltra contemplationem

nem artis & naturae rerum; siue, non vltra tertium illud, quod admirabile vtrinque existit, quoties suum nempe certamen, ars, & natura exhibuerunt. Caeterùm, proprium in hoc spectaculo quiddam erat nostrae pietatis, quod suspensa alte teneret pectora & mentes, sensumque hunc interpretem mentis: eaq; voluptatis, & gaudij pars non nisi posset ad nos peruenire, quibus aeterna vita, & gloria sanctarum animarum sanctè vereq; intelligitur. Namque per totam Arcam, superficiemque eius, simulacra Angelorum expressa argento disposita cernebantur in tales discriminata facies & figuras, quales formae gestientium esse debent in beatissima illa vita, aeuoq; sempiterno, illic, vbi aligeri spiritus puerili specie seculis adulti innu-

innumerabilibus implent ornantque Aulam, plauduntque Deo, & Sanctis, & vicissim ipsi iucunditate complentur. Haec per totum Arcae ambitum in vultus humanos assimilata diuina soboles circa pretiosissima inclusa ossa artusq; sacros gtatulabunda stabat, gloriamque repraesentabat illius Animae tantam, vt puderet penè triumphi, quem manus & studia mortalium eo die adornassent, atque celebrarent humiliter angustijs, & obscuritate sua. Effictus mortali materia sempiternus ille chorus surdo figurarum discrimine tulerat Paradisi secum effigiem inuexeratq; Paradiso animos, & ab rerum humanarum cogitatione alienarat, & docuerat simul venerari Sanctos sanctius, atque augustius, quàm sicuti apud homines colun-

coluntur. Ea admonitio diſcipli-
naque ineſſe videbatur penè anima-
to, circa Arcae ornatum, & miniſ-
teria argento. Blanditur illic Diuo
Carolo Coelum deliciaeq; nomini,
ac memoriae eius illic fiunt. Ap-
paret amabile certamen Angelorum,
ſiue conſenſus, & conſpiratio quae-
dam, vt ſuo quiſque obſequij mu-
nere fungatur, inſeruiatq; Pontifici,
qui ab ſede Templi huius migrauit
in proximas Numini ſedes exuta
mortalitate, & cuius ipſa mortali-
tas intus ibi collocata iacet praefe-
rens adhuc voluntaria afflictamenta
laboreſque exhauſtos. Sedent alij
in faſtigio Operis praeconiumque
Diuo agunt: inſtant attento pueri-
liter ore tubas, cientq; ad glorioſa
haec ſpectacula genus humanum.
Cithara fidibuſque canunt alij blan-
diſsimo

dissimo adspectu penè cum voce. Hic admiratur. Ille exultat. Stat aliquis secum ipse meditabundus. Quispiam habitu facieq; venerantis, ob haec miracula suspicit adoratque Numinis Maiestatem. Tenent eodem habitu Pontificatus insignia plures apparatumque sacrificalem quo fulserat inter Ecclesiae Principes Cardinalis tantus ille olim: intelliguntur que simulacra penè ipsa sentire magnitudinem eius. Constat Arca ordine duplici desinente in rhombi figuram: vnde, & rhomboidem appellauere. Primus inferior ordo distinguitur in angulos antesue duodecim, maiores minoresque. Longitudo ordinis huius cubitorum est quatuor. Vnum cum dimidio in latum patet. Basis coronidem habet cum mutulis, & co-

ronis,

ronis, & ſcamillis: ipſam conflata ex argento duodecim animalia ſuſtinebunt: totuſque contextus intra extra ex metallo eodem. Angulus vnuſquiſque cum argentea caryatide eſt: qualia ſcilicet ſuggrundijs, ac tectis ornamenta veteres ſubdere repererunt: caryatideſque ita duodecim in eo inferiore ordine numerantur: & puerilia angelica ſimulacra ferentia Pontificales vti dictum eſt in modum trophaeorum apparatus ibi applicata ad plinthos ſedent. Anguli iſti, ſiue antae coronidem vtramque regunt, & eam, quae ſubiecta excurrit: & eam quae deſuper ab cymatio iniungitur. Singuli ſingulas, ex argento ſtatuas erigunt habitu facieque Virtutum, ita ſicuti vnamquamque earum pingere, ac figurare antiquitas inſtituerat:

rat : ſuntque ita duodecim ibi per totum circuitum gyrumque Virtutes. Cryſtallini contextus interiecti antis ſunt, & in vnoquoque contextu ſegmenta cryſtalli tredecim : quorum vnum amplitudine ſupra caetera cingitur includiturque ab minoribus illis octangula figura elaboratum, & cuncta late colluſtrans. Sic duodecim ampliſsima ſegmenta in primo hoc ordine conſtruunt Arcam vnà cum minuſcula ſua cohorte circumcluſa cuncta argento. Nec tamen maximis illis par amplitudo omnibus : & duo minima grandiſſimorum ad Arcae caput vtrumque poſita ſunt. Argentum, quo deuincta & conſerta ſegmenta tenentur, auro obductum eſt. Segmentaque omnia iſta ſimul centum quinquagintaſex numerum explent. Alter

ordo

ordo, quo operitur consumaturque Arca penè germanus huic inferiori ordini est, tum dispositione Caryatidum, tum Coronidis adspectu. Sed variatur, & abscessu laterum siue curuatura, qua fastigiatur in rhombum, & dissimilitudine etiam ista, quòd ouatis pars ea segmentis fenestrata est. Ac sicuti figurae Angelorum inferius sedent: ita & sedent hîc, & stant, illae scilicet quae stemmata regia ferunt. Namque vt inter haec etiam mysteria conseruaretur debitus honos maiestati nominique Domus, quae praecipuum in terris Ecclesiae munimentum est, quaeue dona haec dedit: inuentum ab Ecclesia grato animo vicissim, vt in describenda Arca ponerentur stemmata Domus eiusdem: stemmaque Austriacum ex auro in

sum-

ſumma arca praeferunt diſcreti per interualla Angeli, quos ipſos cingunt interlocantque duo veluti modulantes heroicum carmen. Stemma Demarchi Leganenſium in Arca infima tenent Alites alij, quod monumento ad poſteros ſit, hunc fuiſſe Prouinciae Gubernatorem, ſub quo abſolutum id regium opus. Par honos, & gratia reddebatur Eminentiſs. Montio Pontifici Vrbis, propterea quod apud Demarchum ille egerat, vt Arca abſolueretur. Sed abnuit ipſe: monuitque: ponerent potius in lamina titulum: quo Archiepiſcopo ſedente, quo anno aedificata Arca dedicataq; eſſet. Caeterùm Cariatides hîc quoq; duodecim in maiores minoreſque diſtinguuntur: & reliqua ad eandem formam, niſi quòd, breuiora hîc

omnia

omnia ſunt, & ſimulacra videlicet, & Caryatides ipſae, prout pars etiam ipſa breuior humiliorque. Coronidem quaterna argentea vaſa veſtita folijs ornant. Segmenta cryſtalli partis huius ſeptuaginta ſeptem in membranis notata, atque exſignata reperi. LX. millibus aureorum nummûm Arca ſtetit: eaque in regios codices relata ſumma eſt: minime ſilenda, vel ſubtrahenda laude etiam vnius, inter Vrbis & Eccleſiae primores clariſsimi Viri, per quem ſub Pontifice Montio, & Gubernatore Guzmano, pecunia omnis tractata & adminiſtrata eſt, fabricaque etiam curata Operis, vt rectè, atque ordine ad diem ſine errore mendoue vllo approperaretur. Primicerius Vicecomes fuit Cardinalis Federici Sororis filius.

Ei

Ei ſuper generis claritudinem iudicijque elegantiam, commendatione hac electo, quòd Domui Borromaeorum annexus ita eſſet, curam hanc, Eccleſiaſtica ſimul, & Regia poteſtas, & Princeps vterque delegarant. Guzmanus, vt celebritati, ſicuti dictum eſt, intereſſet, & Regis nomine Arcam Pontifici Metropolitano ritè offerret, atque aſsignaret, ab Alexandria Derthonam: inde Ticinum proficiſcitur: ab Ticino Mediolanum venit ad IV. Nonas Nouembris, ſub ipſam nempe D. Caroli diem, diſpoſitis ita conſilijs, vt peracta celebritate rediret abſque mora vlla ad exercitum. Venit quieta cum modeſtia, quae ipſa cauſam aduentus facilè teſtaretur, iuncto nigris mulis ſeiuge curru: caeterùm cultu fere priuato,

ita

ita ſcilicet vt erecta gaudio plebes quacunque ille praeteruceheretur, Prouinciae liberatores, terrorem flagellumq; Gallorum Hiſpanos ingeminarent. Et voces quidem eae auditae ſunt: ſed interiore ſenſu gratulationeque animorum plaudebatur magis. Hora erat diei fere vndecima, tenebraeque iam appetebant, cùm inter hoſce plauſus Princeps ingrederetur Vrbem. Quieuit in Palatio pauliſper, egitque nonnulla, & vacauit de more alloquijs. Mox Templum maximum ingreditur inſpecturus atque aſsignaturus Eccleſiaſticae poteſtati Diuoque Carolo regalem cryſtallinam Arcam, quae iam illata Sacrario ad id ſtabat. Aderat Cardinalis Archiepiſcopus, Canonicique primores circa eum

velati

velati insignibus suis : & statim ad famam actionis caeremoniaeq; eius, implebatur multitudine Templum : ac prohiberi turbam oportuit, quae inter tenebras haud aliter quàm medio diei laeta simul, & curiosa suo more accurrerat. Volebant omnes sanè videre Arcam : sed Cardinalis Archiepiscopus haud minus oculis appetebatur, cùm essent in tanto ciuium peregrinorumque concursu, qui numquam eum vidissent. Pauci sunt admissi dum traditionis caeremonia peragеretur. Referam verba ipsa Regiae donationis ad Eminentissimum Cardinalem Archiepiscopumque Montium effata opportunè in eam rem à Gubernatore Guzmano, sicuti fuit ei Viro decôra grauiter profluens eloquentia, quae Principem deceret. Catholica Maiestas

„ ieſtas D. N. Regis Philippi IV. in-
„ ter praeſidia rerum ſuarum, maxi-
„ mi ſemper hoc aeſtimauit, quòd D.
„ Carolus Borromaeus natus in Im-
„ perio ſuo eſſet. Praecipua religione
„ ſemper nomen memoriamque eius
„ Maieſtas eadem venerata eſt, enixe-
„ que egit, vt à ſubiectis ſuis perinde
„ coleretur: ac praemia pietati viciſ-
„ sim è coelo fuere, quae grato animo
„ aſsidue recolit Rex, & perpetua re-
„ cordatione conſeruat. Credit enim
„ effici patrocinio praeſertim Diui
„ eius, & precibus apud Deum, vt
„ Catholicum hoc Imperium, & Auſ-
„ triaca Domus florens incolumiſque
„ maneat, fuſis, ſiue compreſsis tot
„ vndique hoſtibus, & verſo in ipſos
„ bello, quod in perniciem Domus
„ Imperijque huius conflarant. Haec
„ tanta coeleſtia beneficia, non ſanè

remu-

„ remunerari, ſed colere volens Ma-
„ ieſtas Domini mei Regis, Arcam
„ hanc aſſeruando Corpori Sancti Pon-
„ tificis, cuius apud Deum. Deipa-
„ ramq; precibus impetrata eſſe cen-
„ ſet, fieri iuſsit, & mihi ſeruo ſuo
„ infimo, ac fideliſsimo mandauit,
„ vt ſicuti facta aedificataque hodie
„ habetur, in eum vſum traderem
„ huic Metropolitanae Aedi, atque
„ aſsignarem, ſicuti trado nunc, atq;
„ aſsigno. Petoque ab Emin. Veſtra,
„ vt ipſius Diui Caroli nomine, do-
„ num hoc, re quidem ipſa tenue,
„ animo autem, & pietate donantis
„ longè maximum accipere libenter,
„ & conſeruare velit. Accipiat hoc
„ Regiae deuotionis, & grati animi
„ monumentum, cuius claritudine ac
„ luce Reliquiae magni Cardinalis ful-
„ gebunt, ſicuti puriſsima illa Anima

Patriam

„ Patriam Ecclesiamque hanc optimis
„ moribus & egregia disciplina verè
„ fulgentem reliquit. Accipiat in-
„ quam, ea vicissim beneuolentia, &
„ caritate, vt inter preces, & sacri-
„ ficia Templi huius meminerit com-
„ mendare Deo Opt. Max. salutem
„ incolumitatemque Regis, & Impe-
„ rij huius, vnde honos, & obsequia
„ haec erga Diuum. Sed me quoque
„ sub patrocinium, & Diui Caroli
„ clientelam hanc, caritate ac bene-
„ uolentia eadem recipere dignetur,
„ qui regiae pietatis in opere facien-
„ do fui praecipuus, atque promptis-
„ simus minister: quemue iam Diuus
„ ipse recepit singulari suo fauore er-
„ ga victricia haec arma. Non enim
„ aliter ab necessaria defensione Pro-
„ uinciae proferri potuissent in hos-
„ tium quoque fines: murerisque
eius,

eius, atq; deprecationis apud Deum fuisse fatemur, quòd prolata ita sunt, & exitus adhuc hos habuere felices. Accipiat Eminentia Vestra regale donum, cui simile aliud Maiestas eadem, eiusdem Imperij opibus, & pietate parandum fore sperat Em. Vestrae Reliquijs quandocunq; per vestigia ista Diui Caroli peruenerit ad huius mortalis vitae finem. Dixerat totidem fere verba Guzmanus, quae plena quidem ipsa per se fuere pietatis, ac reuerentissimi sensus erga Diuum Carolum, sed pietate simul ac dignitate pronuntiantis augebantur. Et Archiepiscopo Cardinali praesertim, non admiratori solùm, sed etiam imitatori eximio Diui Caroli virtutum, vitaeq; totius, altè mouerant haec Principis dicta animum. Is, vt erat

quaſi praeſentia Diui ipſius ſimul, & regiae pietatis conſideratione defixus, talia quaedam reſpondit. Facere Catholicam Maieſtatem id quod Regi Regum, & Chriſtiani Orbis Monarchae potentisſimo cõ. ueniens decorumque eſſet, quodue à parentibus ſuis, Auoq; & Atauo, & longa Caeſarum ſtirpe hereditarium accepiſſet, vt praeſidia ſalutis, & Imperij ſui duceret cultum & religionem erga Dei Sanctos. Nec ſibi nouum hoc, ſed coram diuque ſpectatum cùm Sedis Apoſtolicae Nuntius Aula in illa ipſe moraretur. Diuum Carolum, inter caeteras virtutes, & immortalia facta, quae ipſum aſsignauere Coelo, illud etiam ad extremum vſque tenuiſſe, vt Imperio Domuique faueret, cui ſecuritas, & tutela Catholicae Re-

ligionis

„ligionis innititur. Ideo, honores
„ tantos ab regia munificentia meritò
„ ſemper ei habitos fuiſſe, porròque
hodie haberi. Arcam, quae tantarum humanarum opum arbitro, modicum munus ac leue videretur, ſibi Cleroque ſuo rem videri pretioſiſsimam. Cordique futurum, non ſolùm, vt pro magnitudine ſua theſaurus ille cuſtodiretur, ſed etiam vti conderetur Eccleſiae monumentis, & litterarum ope monſtraretur, ſpectaculoque, & miraculo, & exemplo eſſet, quacunque litterae, & Reges, & opera magnanimitatis degunt. Dixerant inuicem talia Principes: atq; teſtificando, & ſcribendo, quae dicerentur, ſiue agerentur, adfuere Caymus, & Platonus illuſtria nomina Secretariorum, ille Eccleſiaſticam, hic Regiam auctoritatem

toritatem inter publica acta ferentes. Sic nox, & actio illa transierat. Eadem nocte collocatur Cardinalis Archiepiscopi penè manibus in Arca ipsum Diui Caroli corpus cum infula, caeteroque Pontificali ornatu,& habitu sacrificantis. Cogitatum primò fuerat, vt facies fabricato aptè ad id aureo vultu tegeretur. Postea simplicius rectiusque visum, apertam nudamque relinqui, qualem scilicet eam, dies, ac solitae in Sanctorum etiam corpora iniuriae reliquam fecere. Corruperat labefeceratque genam alteram, non tam vetustas, quàm decidua perennis gutta per viginti annos ab vligine sepulcri, cùm nondum apertum id inspectumque esset. Genae alteri pepercerat magis iniuria eadem, nec tamen integra manebat. Dentes, &

mor-

mortuale ſpectaculum oris, rictuſque, & hiatus ille, qui carne abſumpta manet, neſcio quid priſtinae ſimilitudinis retinebat, quod ſeniorum animos paternae illius imaginis recordatione permoueret, quodue etiam ad effigies illius, & ſimulacra quae extant, congrueret, nec niſi flebiliter, & tenerè adſpiceretur. Celebritas & pompa, qua venerabile pignus, & haec relicta terris coeleſtis animae receptacula in publicum elata ſunt, vt poſt LIV. hunc ab eius deceſſu annum iterum populo monſtrarentur, partemque ſpiritus, & aurae purioris hae ſanctae Reliquiae, inceſſu, & adſpectu ſuo afferrent Vrbi, quam ſpirans olim praeſenſq; ille conſtituiſſet, atq; ſeruaſſet, ab alijs perſcripta extat. Extulerant è Sacrario Arcam, condito iam in eam corpore,

pore,

pore, clausamq. ita, & ritè praeparatam in Ara maxima venerabundi simul, & delibuti gementesque gaudio collocarant. Templi ornatus erat, qui supremas illas aeternas sedes domiciliumque Beatorum, splendore, & hilaritate festa, maiestate simul, ac decoro, quantum terrestria coelum imitari possunt, referret. Molesque augustissima haec, qua nihil in terris altius, & superûm Choris vicinum ac simile magis esse creditur, ceu populus alter, & altera sacra Diuina Ciuitas ad Beati Pontificis adspectum gaudia concepta testabatur. Omnia, quae veterum ingenijs, quaeue nouis artibus, & Cleri huius erudita ad sacros apparatus magnificentia, sumptibusque effusissimis, vmquam in vlla publica gratulatione, excogitari, fieri, induci,

attolli,

attolli, deſcribi quoque, & pingi potuere, facta, & ſtructa deſcriptaque, & inducta erant. Ipſe D. Caroli theſaurus ſupra veterem tumulum è regione Arae maximae eminebat laceſſens videlicet ille, euocans, inducenſq; claritudine ſplendoribuſq; ſuis Templo veluti Coelum, laceſſens quoque, & prouocans aemulatione diuitiarum theſauros gazaſque regias: imò has ipſas ſtructa annulorum gemmarumque mole complectens. Nam pleraque donorum illorum miſerunt ac dedere Reges: & ſeruati è periculis, aut re bene geſta, ſiue vt gerere poſſent, in poſterum vota, ſiue iam acceptorum beneficiorum haſce mercedes ſacrauere Diuo. Ipſi quin etiam per ſtatuas, & argentea ſimulacra efficti Principes, efficta ora parteſue reliquae cernebantur

in totidem imagines, quot morborum formis conflictatur humanum corpus. Res diuina facta est ab Eminentiſs. Cardinale, & Archiepiſcopo Montio. Is de laudibus & mirabiliter acta vita Paſtoris Pontificiſque Sanctiſsimi perorauit, ſicuti Cardinalis quoque Federicus olim eadem anniuerſaria die peroraraт, rara temporum laude, vt Cardinalium Epiſcoporumq; ſummi, fuerint ijdem ſummi Oratorum. Nec mirifica ſolùm ob eloquentiam, ſed ob Regiae munificentiae laudationem, iucunda multitudini Principibuſq; fuit oratio, cum obuerſo in Coelum auguſto ſacro ore Pontifex hic orator Diuum Carolum ita alloqueretur. COELESTE CAPVT: DECVS ET CORONA PONTIFICVM: PONTIFEX OLIM

ET

ET CIVIS PASTORQVE NOSTER
ET PATER PATRIAE HVIVS.
EN VT RELIQVIIS NOMINIQVE
VESTRO BLANDITVR MISTVS
MVNIFICENTIAE REGVM DIVINVS
QVOQVE FAVOR. EN VT HISPANVS
HODIE MONARCHA DAT ARCAM
QVAM NVLLAE HVMANAE OPES
DARE POTVERVNT. VELVT
AEDIFICATA HAEC IN COELO EST:
ISTINC E COELO MONSTRATA
FVERE PIETATI REGIS MIRACVLA
CRYSTALLI VT CONDITORIVM
FIERET DIGNVM LARGITORE
MONARCHA DIGNVM PVRITATE
CORPORIS QVAE SPLENDORES
HOSCE VICIT.

Sa-

Sacrificio peracto, ſublata, & efferri coepta eſt Arca. Portauere Epiſcopi quatuor in ſpeciem ſuccollantes. Alij, qui pondus ipſum vtique ferrent, circumiecto velamine tegebantur. Cardinalis Archiepiſcopus licet imbecillo propter recentem aegritudinem corpore aderat ipſe quoque ſuccollans. Senatores vmbellam per aliquantulum ſpatij attollebant. Mox alij ſucceſſere, prout quique ſuum id ius ſuamque praerogatiuam eſſe contenderunt. Gubernator ſuo loco procedens accenſum funale tenebat. Iniuria diei triumphique huius fuerit, retuliſſe conſuetos magnos Vrbis apparatus, obumbrata itinera panno, parieteſq; pretioſo periſtromate picturatos, & diuitum domorum expoſitas ad certamen opes, quacunq;

pompa inceſsit, caeteraue demum, quae etiam aliàs ſpectata fuere, vel ſpectari potuerunt. Proprium decus diei huius fuit ſtrepitus, & confuſio per Vrbem, & multitudo, quam non poterat capere Vrbs. Deſerta interim fuere Oppida Vrbeſq; finitimae, & capi eo die potuerunt, ſi prouidum, atque intentum occaſioni hoſtem interea habuiſſent. Ab Venetijs inſuper, ex Piceno, ex Ligurum, Heluetiorum, Rhaetorumq; finibus venere multi, ſcilicet antecapto diligenter tempore, vt ad diem celebritati occurrerent. Nec ſinguli tantùm ex domibus familijſue ſingulis, ſed domus familiaeque totae gregatim, & ferentes feminae paruulos liberos, liberiue vltro ſequuti parentes, vel clanculum profugi à parentibus arripuere

huc

huc iter. Etiam feſſa aetate nobiles obſcuriue plerique, vel quibus cruda viridiſque ſenectus, morboſi, lymphati, capti luminibus, manci, debileſue, & luxati, infelicia trahentes corpora, venire, irrepere, & adeſſe voluerunt. Aliudque ſimul infelicium genus aderat, augebatq; multitudinem hanc volentium à D. Carolo expoſcere opem. Namque compertum ego ita habui: homines maritos, quibus infauſta, vel ſuſpecta ſui matrimonij conditio, matronaſque viciſsim, quibus effrenis in adulteras alias libido maritorum vitam animumque inquietaret, veniſſe cum ea fiducia & ſalutari ſimplicitate, vt purgato per Diuum Carolum vi occulta, & expiato, ſiue emendato geniali thoro, famaque reſtituta, ex deſperatis, &

con-

contemptis laeti honeſtiq; redirent domum: eandemque ſimplicitatem, ſiue fiduciam etiam inter noſtros ſcio fuiſſe nonnullis. Scio fuiſſe, qui, re perdita domeſtica afflicti, circumuenti periculis, ſperauerint hinc auxilium, impetrauerintq; vel certe dixerint ſe ſe impetraſſe, non minus profectò, quàm quibus in calamitate aliqua corporis palam, & manifeſtè ſubuentum. Ac ſicuti circa corporum morbos, & incommoda haec, admirabilia quaedam eueniſſe dicuntur: ita grauioribus alijs animi, & fortunae domorumq; morbis aiunt triduo hoc in D. Caroli gratiam propitium fuiſſe Numen: multoſque ſtatim ſenſiſſe melius ire ſibi negotia, tollique labes, & ſanari animos, prout precati eſſent; attuliſſentque vota in id.

LX. millia peregrinorum hoc tempore in cauponis diuersorijsq; fuerunt: isque numerus relatus in publicum est. Adijce nunc, quantum praeterea numerum verisimile sit, ad amicos, propinquosque diuertisse, cùm nulla non domus, summa, siue infima, siue mediocris, plena hospitum fuerit, quos deinde in tecta alia, & domos pauperrimas, siue desertas priores illae exonerabant xenia cibosque mittendo, vt laxarentur ita angustiae, quas sua vnicuique multitudo fecerat. Et conductas aedes, ante quam venirent habuere, quibus ea facultas. Etiam in Monasteria, & collegia frequenter itum. Interimq; tamen turba penè maior fuit eorum, qui sub dio pernoctauere. In tanto numero colluuieque mortalium, qui

ſtrepitus , ac tumultus , & quae turbae per Vrbem, atque in Templo maximo praeſertim eſſe potuerint , depingere ſibi animo, & imaginari facilè quilibet poteſt. Rixae, clamores, & alicubi ſaxa, gladijque: ac vulnerati, ſiue eliſi aliqui in mortem. Perpetuus in templo fragor, & rugitus verè torrentis, qui auctus nocturno imbri, proluuiem aquarum immenſam per ſaxa è montibus deuoluit. Sed praeualebant ſtridores , & latratus tonitruaque phanaticarum , tantaque tormenta infelicibus illis ad D. Caroli praeſentiam, vt deſierint eo die credere aliqui, fallacias eſſe muliebres, vereque rabie illa & furore tartareo, ſi vmquam aliàs cognitum ſit, obſidere corpora humana ſpiritus infernos, illabi praecordijs ſenſibuſq;

mor-

mortalium, & regnare torquerique illic in ſuam obſeſſorumue poenam. Satis conſtitit, ſolutas, & liberatas eo die nonnullas, quibus aeterna inexplicabilia vincula inieciſſe Sathanam appareret. Neque omiſerim alios pietatis quoque furores, quibus inſtincti viri feminaeque in fuſtes in ſariſſas vltro incurrere ſpectati ſunt. Nam cùm ſtaret pro cancellis cohors praetoria Germanorum, inſtructa telis ad turbam de more ſubmouendam, hique tela, & ſariſſas in terrorem aſsidue huc illucque vibrarent: cùmque ſatellitum alia cohors his immixti, non quaterent modò fuſtes baculoſque ſuos, ſed etiam abſque diſcrimine intentarent, ac ſaeuior ea comminatione truculentiorque fere eſſet vultus eorum importunitaſq; vocis:

aduerſum ire tamen, atque irrum-
pere nihilominus, & verberari vl-
tro, verberareque audebant: eaque
veluti pugna fuit per totum tempus,
quo ſtetit Arca in conſpectu: ac di-
ſceſſere plures ora faciemq; cruenti:
& viciſsim pulſatus ad necem ab
iuuene ſatelles fuſte eodem, quo
pedem huius ille compreſsiſſet. In
diſponendo ordine ſupplicationis,
gradus, & diſcrimina dignitatum
ſeruari non potuere. Inter duos
ſummos Ordines Ciuitatis, cùm
vterque Ordo propinquiorem ſan-
cto Corpori locum capere ipſi, atq;
habere ſtuderent, orta contentio:
& contentioni Princeps amabiliter
iratus: atque, vt in tali certamine,
reddita pax, & reconciliata gratia
ſtatim: neque dignitatis haec am-
bitioniſue humanae, ſed pietatis

videri

videri certamina potuerunt. Diuumque ipſum delectatum fuiſſe arbitror, intuentem è Coelo iurgia circa ſe haec, atque in populorum tumultu, proceres etiam inquietatos. Ea ſola ſpecies deerat miſcentis Coeli cum genere humano gaudia gratulationemque ſuam, ſiue turbati huius paruuli Orbis magnitudine gratulationis, & triumphi. Peracta ſupplicatione, repoſitaque ſupra Aram maximam Arca, iam ſerum fere diei appetebat. Cardinalis Archiepiſcopuſquè Montius epulum dedit eadem diſciplina & forma, qua Diuus Carolus etiam, Cardinaliſque Federicus poſt ſolennia fere aliqua dare conſueuerunt. Fuere in eo conuiuio Epiſcopi quattuor: Altempſijque fratres, qui D. Carolum ab materna origine pro-

xima affinitate attingebant. Etiam apud Leganenſem in Regia pari modeſtia militare prandium fuit procerum amicorumque nonnullis, qui poſtero die ad exercitum vnà cum ipſo redituri erant. Dilata profectio eſt ab die Veneris in diem Sabbatum, qui dies fuit ad VIII. Idus Nouembris. Eo die ab Mediolano Ticinum: inde Alexandriam itur &c.

Menda, quae irrepſere, tum ſolita illa & nota operarum, tum importuniora quaedam, veluti *praeteruceheretur*, & *mutuò*, & alia id genus: itemque per obliuionem repetita nonnulla, nec niſi in editionis fine animaduerſa Scriptori, benignè accipient legentes clementerque aeſtimabunt.

MEDIOLANI

Apud Malateſtas, Regios ac Ducales Typographos.

